MASTER NEGATIVE NO. 93-81601-13

AUTHOR:

SCHMITTHENNER, WILHELM

TITLE:

DE CORONARUM APUD ATHENIENSES...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1891

Master Negative #

93-81601-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

886
Z8
v.1

Schmitthenner, Wilhelm, 1867-
De coronarum apud Athenienses honoribus quaestiones epigraphicae. Berolini, Heinrich, 1891.
55 p. 22 cm.

Thesis, Berlin, 1891.
Volume of dissertations

8
Box 90

Another copy.

374675

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA / IIA / IB IIB
DATE FILMED: 7/23/93 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

DE CORONARUM APUD ATHENIENSES HONORIBUS.

QUAESTIONES EPIGRAPHICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE I. MENSIS AUGUSTI A. D. MDCCCLXXXXI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS SCHMITTHENNER
MATTIACUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
GUALT. HENZE, CAND. PHIL.
LUD. PALLAT, DRD. PHIL.
ERN. SAMTER, DR. PHIL.

BEROLINI, 1891.
HEINRICH & KEMKE.

Typis G. Pätz (Lippert & Co.), Numburgi ad S.

HERMANNO DIELS

PIETATIS ERGO.

Prolegomena.

Coronis antiqui Graeci in variis ac diversis rebus permultum utebantur, velut (potissima tantummodo tangam) coronis in conviviis diebus festis nuptiis corpora ornabant,[1]) coronis vittisque in sacrificiis ac cultu deorum se hostiasque redimiebant,[2]) coronis funera monumentaque mortuorum colebant,[3]) coronas denique in certaminibus[4]) ut summa praemia virtutis pueri adolescentes iuvenes senes maximis contentionibus corporum atque ingeniorum petebant. Publice vero coronae apud Graecos et imprimis apud Athenienses duplici fere ratione usurpabantur; nam et oratorum[5]) concionantium et magistratuum[6])

---

[1]) Demosth. de fals. leg. p. 380 § 141 ed. Oxon. Hermann de Graecorum antiquitatibus privatis[3] p. 245 et 272. (Multus est amantibus usus coronarum cf. Athenae. XV p. 669 et 670.)

[2]) cf. Aristoph. Nubes ed. Bergk 255 sq. Herod. rec. Stein VII 97. Plut. Nic. 3. Aristoph. Plut. 21. CIG 1464 v. 3 et v. 15. Demosth. Mid. § 65 p. 530. Hermann, de Graecor. antiquit. divin. § 24, 7.

[3]) Aristoph. Tagenist. I v. 6 (ap. Mein. Com. Graec. ed. min. I p. 314. Kock I 488 p. 517) cf. Wescher-Foucart, Inscriptions de Delphes 110, 21; 136, 5; 142, 20; 420, 5 ubi dominorum sepulcra sertis quotannis ornare liberti iubentur.

[4]) Ea certamina vocabantur: *ἀγῶνες στεφανηφόροι* CIG 1285. Pseudandoc. in Alc. II 32. Herod. V 102.

aut *στεφανῖται* CIG 1418. BdCH III p. 426 v. 9. V p. 305 v. 15. V p. 375 v. 8. Isocrat. Antidos. 301. Demosth. Leptin. p. 500 § 156.

[5]) Aristoph. Eccles. 122. 131 sq. 147. 163 sq. Thesm. 381.

[6]) Coronis (murteis, vid. Hesych. s. v. *μυρρινῶν· ὃ δηλοῖ ἐπί τινα ἀρχὴν παρασκευαζόμενος· οὕτως δὲ, ἔοικεν, ἐσχηματίσθη διὰ τὸ τοὺς ἄρχον-*

munere fungentium sacrosanctitas coronis significabatur, et cives de re publica bene meriti, viri magistratibus laudabiliter functi, hospites peregrini civitates reges qui populo Atheniensium benevolos ac fidos se praestiterant, coronarum honoribus donabantur. Hunc usum viros de re publica bene meritos coronandi tractare mihi est propositum; qua in re etsi Atheniensium praecipue mores respiciam (nam et titulos Atticos plenius commodius rectius quam omnes fere reliquos esse editos constat et de nullius civitatis legibus institutisque e titulis colligi aut a rerum scriptoribus poetis oratoribus cognosci plura certioraque possunt), tamen ceterorum Graecorum honores non neglegam. Infinita autem esset oratio, si coronarum honores omnibus ex partibus describere et absolvere vellem; qua de re potius quasi capita quaedam elegi. Primum igitur quo ex tempore coronae publice datae sint si placet videamus.

I.

De coronarum honorum origine.

Coronae honorem ab Atheniensibus esse inventum primumque Periclem corona oleagina coronatum tradit Valerius Maxi-

τας ταῖς μυῤῥίναις στέφεσθαι et schol. Laur. ad Soph. Oed. Colon. 681 ed. Papageorg. p. 433) Athenis decorabantur

archontes (Hesych. l. c. Demosth. Mid. §§ 40—42. Aeschin. Tim. 19)

senatores (Lycurg. Leocr. 122)

praetores (schol. Ven. in Aristoph. Equ. 59)

cf. omnino Hermann De Graecor. antiqu. publ. 5 § 124, 13. Wilamowitz ad Eurip. Heracl. 677.

Mileti Smyrnae Iasi Mylasae Nysae Aphrodisiade Prienae Magnesiae Stratoniceae aliis in oppidis Asiae insularumque finitumarum *στεφανηφόρος* nomen magistratus eponymi fuit cf. CIG 2330—2333. 2671—2679. 2715. 2827. 2835. 2856. 2859. 2905. 2927. 3413. 3524. etc. Röhl Index. p. 40. Syll. 77. 170. 171. 240. 314. B d C H 1880 p. 108, 1883 p. 275, 1889 p. 35. M d A J XIV p. 317. Newton III. s. I 408 v. 1. 416 v. 9. Lebas III 311. Reinach Traité p. 349.

mus;[1]) cuius testimonii alteram partem Westermann[2]) ideo reiecit, quod iam Themistoclem et Eurybiadem a Lacedaemoniis esse coronatos *ἐλαίας στεφάνωι* Herodotus[3]) auctor est, cum hoc solum verisimile esse putaret coronae honorem ab Atheniensibus esse inventum; atqui illa re improbata hoc probare non iam possumus. Herodoti autem e verbis, quo ex tempore coronandi mos exstiterit, colligere non debuit Westermann; nam cum coronarum honores postero tempore, quo per Ionicas civitates iam pervulgati erant, a Lacedaemoniis tributi non sint,[4]) Themistoclis aetate eum morem Spartae fuisse quis credet? Immo vero Eurybiadem et Themistoclem, liberatores Graeciae, prorsus novo atque eximio honore, quasi Olympia vicissent,[5]) cultos esse apparet. Neque enim raro factum est, ut duces victores eisdem honoribus, quibus victores certaminum[6]) affi-

[1]) Valerius Maximus (ed. Kempf Berol. 1854) II. 6. 5. Eadem (scilicet civitas Atheniensium) bonos cives corona decorandi prima (primo cod., post C) consuetudinem introduxit duobus oleae conexis ramulis clarum Periclis cingendo caput.

[2]) de publicis Atheniensium honoribus ac praemiis Lips. 1830. s. v. *στέφανος*.

[3]) Herod. VIII 124 *ἀριστήια μέν νυν ἔδοσαν . . . Εὐριβιάδῃ ἐλαίης στέφανον, σοφίης δὲ καὶ δεξιότητος Θεμιστοκλεῖ καὶ τούτῳ στέφανον ἐλαίης.* cf. Plut. Them. XVII *Λακεδαιμόνιοι δ' εἰς τὴν Σπάρτην αὐτὸν κατάγοντες Εὐρυβιάδῃ μὲν ἀνδρείας ἐκείνῳ δὲ σοφίας ἀριστεῖον ἔδοσαν θαλλοῦ στέφανον,* quae ex Herodoti historia descripta esse apparet.

[4]) cf. Demosth. Lept. 119 p. 489 *ἐκεῖ* (scil. Spartae) *μὲν γάρ ἐστι τῆς ἀρετῆς ἆθλον τῆς πολιτείας κυρίῳ γενέσθαι μετὰ τῶν ὁμοίων, παρὰ δ' ἡμῖν ταύτης μὲν ὁ δῆμος κύριος . . . στέφανοι δὲ καὶ ἀτέλειαι καὶ σιτήσεις καὶ τοιαῦτά ἐστιν ὧν ἄν τις ἀνὴρ ἀγαθὸς ὢν τύχοι,* quae verba eo confirmantur, quod neque a scriptoribus corona a Lacedaemoniorum populo data commemoratur neque in titulis Laconicis (cf. CIG 1237—1510 et titulos Laconicos apud Lebus-Waddington I 2). Neque multo saepius Delphii videntur coronam dedisse; nam e titulis Delphicis quos inspexi (cf. Foucart, Inscriptions de Delphes) duos afferre possum, quibus ab urbe Delphiorum corona confertur C II 550 et Syll. 211 (saeculi secundi ante Chr.) (Doricarum enim civitatum honos fere unus externorum est proxenia.)

[5]) Oleaster ut saepe a Pindaro (cf. Rumpel. lex. Pind. s. v. *ἐλαία*) ita ab Herodoto VIII 26 voce *ἐλαία* significatur.

[6]) cf. Thucyd. IV 121 *ἰδίᾳ τε ἐταινίουν τε καὶ προσήρχοντο ὥσπερ ἀθλητῇ* (scil. Brasidae). Plut. Pericl. 28 *αἱ γυναῖκες* (Periclem) *στεφάνοις ἀνέ-*

cerentur; sed ei sunt honores insoliti ac singulares, non ex lege aut consuetudine sed sponte collati neque cum illo usu viros de re publica bene meritos coronandi debuerunt confundi. Quae cum ita sint, non est, cur non credamus Aeschini [1]) Miltiadem, Themistoclem, Aristidem a civibus suis coronas non accepisse. Accedit quod Periclem celeberrimum illum oratorem clarissimumque ducem, re vera oleagina corona esse decoratum Lycurgus [2]) testis est, ut de hac quidem re iam dubitare vix liceat. Atque etiam nunc cognoscitur, coronas saeculo quinto non esse datas eisdem condicionibus, quibus postea dari solebant, velut Pindarus poeta, quod Athenas „propugnaculum Graeciae“ cantavit, proxenia et decem milibus drachmum, non corona donatus est, [3]) tribusque saeculo quinto et initio quarti nondum coronatas esse lapidum testimoniis nisus docuit Köhler; [4]) quarum brevi post primo singulas quotannis, deinde omnes coronare populus assuevit. Belli autem Peloponnesiaci temporibus

---

δουν καὶ ταινίαις ὥςπερ ἀθλητὴν νικηφόρον. Nep. Alcib. 6 id quod nunquam antea usu venerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis taeniisque (sic recte Muretus: aeneisque cdc.) vulgo donabatur. (Taenia propria est coronarum victricium neque unquam addita eis, quas populus viris dignis donavit cf. Hussey, American Journal of Archaeology 1890 p. 69 eqs.)

[1]) in Ctesiph. § 181 p. 570 *πότερον ὑμῖν ἀμείνων ἀνὴρ εἶναι δοκεῖ Θεμιστοκλῆς ὁ στρατηγήσας ὅτ' ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίᾳ τὸν Πέρσην ἐνικᾶτε ἢ Δημοσθένης ὁ τὴν τάξιν λιπών, Μιλτιάδης ὁ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην τοὺς βαρβάρους νικήσας ἢ οὗτος, Ἀριστείδης ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος ὁ τὴν ἀνόμοιον ἔχων ἐπωνυμίαν Δημοσθένει; . . . ἐπιδειξάτω τοίνυν Δημοσθένης ἐν τῷ αὑτοῦ λόγῳ εἶπου γέγραπταί τινα τῶν ἀνδρῶν τούτων στεφανῶσαι.* (verba *ἔτι δ' οἱ ἀπὸ Φυλῆς φεύγοντα τὸν δῆμον καταγαγόντες* e margine, ubi ex § 187 hui. or. adscripta erant, in textum irrepserunt cf. Weidn. ad loc.)

[2]) Lycurg. in Cephisodot. (e scholiis Patmiac. in Demosth. in Aphob. I, vide B d C H 1877 p. 150) *Περικλῆς δ' ὁ Σάμον καὶ Αἴγιναν ἑλὼν καὶ τὰ Προπύλαια καὶ τὸ Ὠιδεῖον καὶ τὸ Ἑκατόμπεδον οἰκοδομήσας καὶ μύρια τάλαντα εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀνενεγκὼν θαλλοῦ στεφάνῳ ἐστεφανώθη.*

[3]) Isocrat. Antidos. § 166 ed. Turic. (Morem proxenos coronandi nuper copiose tractavit Dittmar „de Atheniensium more exteros coronis publice ornandi“ Stud. Lips. vol. XIII p. 66 sq.)

[4]) M d A J X p. 112 (tribus dico eas, quae prytania functae erant).

coronarum honores iam satis frequentes fuisse ex multis testimoniis [1]) apparet.

Titulorum autem, qui huc pertinent, ut nunc res est, antiquissimus est C J A I 59 (anni 410 a. Chr.), quo Thrasybulo cuidam corona mille drachmum et civitas decernitur; quod si quis miretur, hominem tam humili loco natum [2]) tantis praemiis esse affectum, Athenienses antiquioribus temporibus suo iure externo homini multo facilius quam civi honores eximios concessisse cogitet; cives enim civibus antecellere in populari civitate (quam Graeco nomine *δημοκρατίαν* appellare consuevimus) non decet. Itaque coronarum honores saeculo quinto et initio quarti multo saepius peregrinis tributi sunt. [3])

Sed huic opinioni Athenienses Periclis aetate morem invenisse, ut viri de populo egregie meriti coronis decorarentur, sane testimonia quaedam obstare videntur quae nunc refellamus. Ac primum quidem absurdas fabulas reicimus, a Persis aut Carthaginiensibus, non a Graecis coronae honorem inventum esse.

Herodotus [4]) narratiunculae illi, Xerxem gubernatorem

---

[1]) Andocid. de reditu § 18 ed. Tur. *ἀλλ' ὅμως οὗτοι στεφανοῦνταί γε ὑφ' ὑμῶν καὶ ἀνακηρύττονται ὡς ὄντες ἄνδρες ἀγαθοί* (scil. duces Atheniensium). Isocrat. adv. Callimach. 61 *ἀνθ' ὧν ὑμεῖς ἐψηφίσασθε ἡμᾶς στεφανῶσαι καὶ πρόσθε τῶν ἐπωνύμων ἀνειπεῖν* (quod urbi a Lysandro obsessae frumentum suppeditavisset). Diod. XIII 15 *τοὺς δ' ὑπὸ τοῦ δήμου τετιμημένους προτρεπόμενος* (scil. Nicias ante cladem Siciliensem) *ἀξίους φανῆναι τῶν στεφάνων* (quamquam huic quidem testimonio non ita multum auctoritatis subesse scio; Niciae enim orationem ab eo, quem exscripsit Diodorus, esse fictam apparet). Plut. Alcib. 33 (Alcibiades domum reversus) *στεφάνοις ἐστεφανώθη χρυσοῖς* (Alcibiades in eadem contione una non pluribus coronis ornatus est; Plutarchi autem error inde natus esse videatur, quod Alcibiades iam antea a singulis civibus coronis aureis decoratus erat. cf. Nepos Alcib. 6, quem locum supra attuli p. 5). Thucyd. IV 121. *δημοσίᾳ χρυσῷ στεφάνῳ ἀνέδησαν.* Xenoph. Hellen. II 3 § 7.

[2]) cf. de hoc homine Lysiae in Agorat. or. § 72. Kirchhoff, Philol. XIII p. 1 sq.

[3]) Antiquissimum decretum, quo civi Atheniensi corona a populo tributa est nunc C II 114, medio fere saeculo quarto exaratum, est; qua ex re hoc licet colligere, ante Demosthenis fere tempora coronas civibus raro esse decretas.

[4]) VIII 118. De Persarum et Carthaginiensium honoribus egit

suum, quod callido consilio regem servasset, coronari, quod multos et nobiles Persas perdidisset, necari iussisse, ipse iure fidem denegavit. Neque magis mentione digna est Xenophontis in Cyropaedia narratio, Cyaxarem Cyro coronam misisse.[1]) His fabulis cum nemo deceptus sit, quam nun refellere studebo, eam multis doctisque viris imposuisse miror. Diodorus enim sive potius Timaeus Carthaginienses Demareten, Gelonis uxorem, quod sibi pacem aequam conciliavisset, corona aurea centum talentum donasse eoque ex auro Demareten nummos cudisse tradit[2]), quae vel ea de causa improbanda sunt, quod mirum ne dicam absurdum est ex corona nummos facere. Dicat ali-

---

Koehler Petropolitanus in dissertatione: *„Gab es bei den Alten Belohnungen des Verdienstes um den Staat, welche den Ritterorden neuer Zeit ähnlich waren“* cf. eius *„gesammelte Schriften“* ed. Stephany vol. VI. Herodoti autem locus nescio quo pacto virum doctissimum fugit. Ceterum colligi non licet, tum, cum haec fabula orta est, apud Graecos morem coronas publice dandi fuisse; iam antea enim propter usum victores certaminum decorandi coronam praemium laudisque insigne esse Graeci cogitare assueverant. (*στεφανῶσαι* = honorare primo apud Euripidem [Hecab. 125], tum saepius apud rhetores invenitur, cf. Pseudoandoc. in Alcib. §§ 26. 31. Pseudodemosth. LVIII 86 neque dissimile est *στεφανὸν περιθεὶς* Herod. IV 88.) Inventam autem eam fabulam aliquanto post Xerxis bellum esse puto, cum eius expeditionum recens memoria iam exstinguebatur.

[1]) Xenoph. Cyropaed. ed. Ox. VIII 5. 18. Ut Cyaxares Xenophontis omnino fictus (cf. Mém. de l'acad. des inscript. VIII p. 447 sq.) ita hic Graecorum usus ad Persas translatus est.

[2]) Diod. XI 26. 3 *οἱ δὲ Καρχηδόνιοι στέφανον χρυσοῦν τῇ γυναικὶ τοῦ Γέλωνος Δημαρέτῃ προσωμολόγησαν. αὕτη . . . στεφανωθεῖσα ὑπ' αὐτῶν ἑκατὸν ταλάντοις νόμισμα ἐξέκοψε τὸ κληθὲν ἀπ' ἐκείνης Δημαρέτειον*, quae ut omnino rerum Siciliensium Timaeum Diodoro fuisse auctorem Volquardsen (de Diodori libr. XI—XVI font. Kiel 1868) recte iudicavit, collato schol. ad Pind. Ol. II 29 = Timae. frg. 90 (Müller) Timaeo vindicare non dubito.

Pollux IX 85 *Ἡ Δημαρέτη Γέλωνος οὖσα γυνὴ κατὰ τὸν πρὸς τοὺς Λίβυας πόλεμον ἀποροῦντος αὐτοῦ τὸν κόσμον αἰτησαμένη παρὰ τῶν γυναικῶν συγχωνεύουσα νόμισμα ἐκόψατο.* Hesych. s. v. *Δημαρέτειον· νόμισμα ἐκ Σικελίας, ὑπὸ Γέλωνος κοπὲν ἐπιδούσης αὐτῷ Δημαρέτης τῆς γυναικὸς εἰς αὐτὸ τὸν κόσμον.* cf. *Bergk, Verhdl. d. 25. Versammlung deutscher Philologen, Halle 1867* p. 25 sq.

quis *ἐξέκοψε* pro *ἔκοψε* scripsisse Diodorum. At quî potuit Demarete nummos cudere, nisi ex eo auro, quod ipsa daret? An regni participem eam fuisse credemus? Iam Pollux et Hesychius non ex auro Carthaginiensium, sed ex ornamentis mulierum Siciliensium, quae in summo patriae discrimine regina monente conflanda dederant, illos nummos esse factos memoriae produnt; quibus cur fidem non attribuamus, non video. Sicilienses igitur, ut memoriam periculorum et angustiarum, in quibus patria sua bello Carthaginiensium versata erat, exstinguerent Gelonisque victoriam quam splendidissimam et clarissimam redderent, invenerunt: non aerarii exhausti non civium laboribus confectorum rationem habuisse Gelonem, cum pacem aequam cum Carthaginiensibus iniret, sed mulieris blanditiis corruptum esse: praemiumque proditionis Carthaginienses reginae coronam immanem centum talentum auri misisse, quo ex auro nummos, qui vocabantur Demaretei esse factos. Quae explicatio eo confirmatur, quod Poenorum honores alios esse constat.[1]) A Graecis igitur, non a Poenis neque a Persis coronarum honores inventi sunt. At a Graecis iam ante bellum Persarum; Miltiadem enim coronam frustra petivisse Plutarchus[2]) narrat. At enim apparet, haec non magis esse vera, quam quae tradidit Aeschines,[3]) frustra Miltiadem petivisse, ut tabulae in porticu, quae postea *στοὰ ποικίλη* appellata est, pingendae nomen suum adscriberetur; quasi Miltiade vivo illa tabulae confectae essent! Sciebant Athenienses Miltiadi nec coronam esse datam neque eius nomen in tabula exstare; homini[4]) igitur in Philaidas

---

[1]) De Poenorum honoribus cf. Koehler l. l.

[2]) Cimon. c. 8 *Τούτῳ γε θαλλοῦ στέφανον αἰτοῦντι Σωφάνης ὁ Δεκελεὺς ἐκ μέσου τῆς ἐκκλησίας ἀναστὰς ἀντεῖπεν οὐκ εὐγνώμονα μὲν ἀρέσασαν δὲ τῷ δήμῳ φωνὴν ἀφείς· Ὅταν γάρ, ἔφη, μόνος ἀγωνισάμενος ὦ Μιλτιάδη νικήσῃς τοὺς βαρβάρους, τότε καὶ τιμᾶσθαι μόνος ἀξίου.*

[3]) Ctesiph. § 186 ed. Schulz, cf. *Brunn, griech. Künstlergesch. II (Maler)* p. 26 sq. et de porticu Peisianactea *Robert Herm.* XXV p. 421.

[4]) Fuit cum crederem, eum fuisse Stesimbrotum Thasium, Plutarchi in vitis Cimonis et Periclis potissimum auctorem, cuius proprium est Athenienses pagi, non patris nomine adiecto producere (cf. *Holzapfel*,

malevolo eo facilius fuit, Miltiadem repulsam tulisse Atheniensibus persuadere, quo libentius summos viros suae auctoritati cessisse volgus plerumque accipit. Quae cum ita sint, satis iam demonstrasse mihi videor, coronae honorem ab Atheniensibus Periclis aetate esse inventum; sequitur ut de coronarum generibus verba faciam.

II.

De coronarum generibus.

Laureae, hederaceae, murteae, oleaginae frondes cum quae in omni deorum cultu usurparentur, tum e quibus coronae necterentur, propter foliorum sempiternam viriditatem [1]) maxime idoneae fuerunt; itaque his potissimum Graeci ad coronas honorarias serendas usi sunt. [2]) Unaquaeque autem civitas coronas dabat e fronde sacra eius dei sertas, quem ut urbis conditorem (*ἀρχηγέτην*) [3]) aut civitatis tutorem et fautorem maxime colebant, cuiusque in honorem certamina maxima celebrabantur. Neque minus collegia et sodalicia sui quodque dei coronam dabant. Athenienses autem viros de culto Cereris bene meritos, murteis,

Untersuchung. üb. die griech. Geschichte bei Ephoros, Theopomp etc. Leipz. 1879 p. 159); sed nunc recentiores has fabulas esse putem. Certe Aeschines Plutarchi narratiunculam si novisset, vix omisisset vixque potuit ignorare, si inventa iam esset; querelae enim de nimio Atheniensium studio coronandi tum ab oratoribus declamari solebant. De Sophane (*Σωχάρης* cod. Plutarch.; sed fabulae sal perit, si ignoto homini illud dictum tribuimus) vid. Herod. IX 72. Pausan. I 29. 5. Koehler, *Rhein. Mus.* 46 p. 4 not. 2.

[1]) Diod. I 17.

[2]) Praeterea semel coronam populeam (*στέφανον λευκαίας,* a collegio Heliastarum datam?) inveni CIG 2525b (vol. II p. 392^{c} v. 79 et 118) ter coronam floream (*στέφανον ἀνθινὸν*) CIG 2530. BdCH V p. 326. Foucart des associations religieuses chez les Grecs p. 237 No. 64.

Coronae pampineae et querceae (ex auro factae) Apollini Delio dedicabantur cf. BdCH VI p. 30 v. 7, p. 40 v. 100, X p. 465 v. 119; neque tamen aut haec aut coronae ex apio factae, quae Nemeorum victoribus tribuebantur, unquam publice datae esse videntur.

[3]) Syll. 211 v. 22.

de Bacchi, hederaceis ornabant, sed longe saepissime coronas oleaginas tribuebant.

Coronas autem oleaginas antiquitus ad cultum Minervae pertinuisse mihi persuasi; [1]) sed luculenter hoc demonstrare propterea difficillimum [2]) est, quod harum coronarum usus Athenis per totam fere Graeciam manavit posterioribusque temporibus et Athenienses et ceteri Graeci genuinae earum significationis non magis memores fuerunt, quam nos fere nostra insignia ad crucis formam figurata pertinere ad Christi cultum cogitamus; itaque coronae oleaginae et a populo Atheniensium eis, qui aliorum deorum cultum administraverant, et a sodaliciis aliorum deorum datae sunt, cum ceterarum coronarum frondearum cum cultu nexus multo facilius perspiciatur.

Hedera, cum Bacchi sacra sit, Athenienses si qui de Bacchi sacris et pompa bene meruerant, corona hederacea (*κιττοῦ στεφάνωι*) ornabant velut Zopyrus Dicaei f. Melitensis, pater virginis ad canistrum in pompa ferendum electae (*ὁ πατὴρ τῆς καταλεγείσης κανηφόρου*) a populo Atheniensium, [3]) Arcesidemus Peisicratis f. Rhamnusius, item pater canephori cuiusdam, a cleruchis Scyri insulae [4]) *κιττοῦ στεφάνωι* redimitus est; nec minus canephoros ipsas a senatu populoque corona hederacea interdum esse ornatas e titulo votivo Athenis in arce reperto [5]) apparet.

[1]) Sodalicium hominum, qui Minervae cultui se dederant (*θίασος* vel *κοινὸν Παναθηναιστῶν*) et qui coronam Minervae (i. e. oleaginam) tribuebant, in oppido Teo fuit CIG 3073 (= Foucart l. l. p. 236 No. 60) ac dubito an Rhodi quoque Panathenaistae fuerint, cf. CIG 2528 (sed vide quae Böckhius adnotavit ad 2525b) (vol. II p. 392e v. 10).

[2]) Accedit alia difficultas. constat enim Athenis coronam oleaginam significatam esse verbis: *στέφανος θαλλοῦ;* quibus an aliae quoque coronae e ramulis sertae notari potuerint incertum est. (hoc videtur voluisse Foucart cum diceret. l. l. p. 35: *la couronne était de simple feuillage* [*θαλλοῦ στέφανος*]) sed Athenis certe *θαλλοῦ στέφανος* nihil fuit nisi corona oleagina, nam falso scripsisse Philium apparet Eph. arch. 1887 p. 177 v. 15 *καὶ στεφανῶσαι ἑκάτερο[ν θαλλοῦ μυῤῥί] | νης στεφάνωι*, cum restituendum sit: *ἑκάτερο[ν αὐτῶν μυρρί] | νης στεφάνωι.*

[3]) C II 420. Etiam titulo C II 453 *κιττοῦ στέφανος* inserendus est.

[4]) Syll. 383 = BdCH 1879 p. 62.

[5]) Eph. arch. 1887 p. 47 = C II 1388b.

Eadem de causa poetae et actores scenici corona hederacea decorabantur, ut Amphis [1]) et Nicostratus. [2]) Neque dissimile est, quod ephebi et cosmeta anni circiter 65 a. Chr. n. propter sacra Baccho utrique (et urbano et Piraeensi) rite facta coronis hederaceis ornati sunt. [3]) Collegia quoque artificum Dionysiacorum [4]) et sodalicia ad Bacchum colendum constituta coronas hederaceas dedisse consentaneum est, velut collegium Dionysiastarum Piraei. [5]) Rariora sunt exempla coronae murteae. Corona enim Cereris sacra [6]) curatores mysteriorum Eleusiniorum et hierophantam interdum a populo coronatos esse ex titulis Eph. arch. 1877 p. 177 et C II 485 (si modo hoc populi decretum est) cognoscimus eandemque coronam gentes quae Kerykes et Eumolpidae audiebant, viris de mysteriis bene meritis tribuebant. [7]) Nunquam autem Athenis datae esse videntur coronae laureae, quae Delphis [8]) et Deli [9]) oleaginarum loco tribui solebant. Apollinis enim c e r t a m e n [10]) quod Thargeliis

[1]) M d A J XV p. 220 ubi Wilhelm hunc usum paucis explicavit cf. American Journal of Archaeol. 1888 p. 421.

[2]) Eph. arch. 1886 p. 106. (vs. 9/10 [κιττοῦ σ] | [τ]εφάνωι restituendum est.)

[3]) C II 470.

[4]) C II 1351. Collegia artificum Dionysiacorum semper coronam hederaceam dederunt cf. B d C H 1885 p. 133 et 140 No. 2; ergo decretum artificum Dionysiacorum Argolidis (Lebas I 2 Expl. p. 51 No. 116 a) non recte Foucart restituit; nam vss. 31 et 40 pro *δάφνης στεφάνωι* ponendum erat *κιττοῦ στεφάνωι*; versus autem 33 certam medelam non inveni, etsi dubito an voce *δάφνη* omissa cetera retineri possint.

[5]) cf. de hoc collegio Koehler M d A J IX p. 290.

[6]) cf. schol. Laur. ad Soph. Oed. Col. 681.

[7]) cf. Eph. archaeol. 1883 p. 86 eqs. Eph. arch. 1890 p. 84 tit. 51.

[8]) Syll. 186—188 C I G 1689 (decreta hieromnemonum), Syll. 211 v. 12 C II 550 (decreta civitatis).

[9]) B d C H II p. 331. IV 346. 351. IX 126. 127 (et decreta cleruchorum B d C H XIII 245. C I G 2270).

[10]) Certamen Thargeliorum prae ceteris contemptum fuisse vel inde apparet, quod coronae aureae semper fere renuntiari iubentur Dionysiis Panathenaeis Eleusiniis cf. huc. diss. p. 40 sq., non Thargeliis. Quod vero semel (C II 809 v. 159 sq.) corona Thargeliis renuntiari iubetur, naves intra decimum Munychionis exornandae erant; qua de re cum anno

celebratum est, multo minus splendidum ac sacrum habebatur, quam celeberrima illa Dionysiorum, Eleusiniorum Panathenaeorum, quod si corona oleagina ad Panathenaea, hederacea ad Dionysia, murtea ad Eleusinia pertinet, Thargeliorum certamen non tam clarum fuit, quam ut inde mos coronas publice dandi oreretur. Totum enim morem coronas publice dandi a consuetudine in certaminibus victores coronandi deducendum esse puto. Nam ut duces victores non semel eisdem honoribus, quibus victores certaminum, esse cultos supra vidimus, ita Graeci illam cum hac decorandi ratione artissime esse coniunctam bene senserunt. Videbatur enim res publica quasi arena data eis, qui largitionibus, prudentia rerum civilium, peritia rei militaris, omnibus denique artibus civium suorum laudem gratiamque adipisci studerent coronaque quasi praemium victori expositum. Hanc ob rem Aeschines certamen honorum cum certamine pugilum [1]) comparat, tribus quod a populo collaudatae sunt, vicisse se gloriantur, [2]) populus ipse in decretis honorum alios, ut eius certaminis participes fiant, instigat. [3])

Restat, ut pauca de coronis aureis addam. Cum primo coronae frondeae ut summa praemia viris de re publica bene meritis ab Atheniensibus collatae sint, non multo post coronae aureae magis magisque increbruerunt semperque fere reges, populi, nobiles divitesque cives, qui magnis beneficiis populum affecerant, aureis coronis ornati sunt. Quo factum est, ut coronae frondeae sensim atque sensim in contemptionem [4]) veni-

Ol. 113, 4. Panathenaea magna non essent (nam Panathenaea magna tertiis Olympiadum annis acta esse inter omnes constat) coronas trierarcharum Eleusiniis demum aut Dionysiis (sex aut undecim fere mensibus post, quo tempore trierarchas vix exspectandum erat Athenis fore) renuntiandas curare iure noluerunt Athenienses cf. A. Mommsen, Heortol. p. 423, Koehler M d A J III p. 132.

[1]) Aeschin. Ctesiph. § 189.

[2]) C II 864. 866. M d A J X 111.

[3]) cf. nota illa formula: *ὅπως ἂν ἐφάμιλλον εἶ πᾶσιν φιλοτιμεῖσθαι εἰς τὸν δῆμον* C II 438 et saepius.

[4]) cf. Aristophanis de corona Olympica nugae Plut. 585 sq. (De-

rent. Promiscue autem et oleaginarum et murtearum [1]) et hederacearum loco aureas esse datas apparet, velut (C II 420) Zopyrus corona hederacea, curatores pompae corona aurea decorati sunt atque aurea [2]) corona nobilissimum illud collegium Dionysiastarum Piraei quaestorem suum ornavit. Forma autem coronae aureae nulli ceterarum, quae e binis ramulis conexis constabant, [3]) similis fuisse videtur; nam cum ex ectypis protypisque coronarum [4]) tum e Demosthenis [5]) verbis apparere puto, coronam auream compositam fuisse ex circulo, qui *χοινικὶς* [6] audiebat et foliis in parte exteriore eius circuli radiorum ritu dispositis.

III.

De coronarum pretio.

Coronarum e ramulis hederae, olivae, murti sertarum pretium in titulis Atticis nunquam [7]) videmus additum; coronas igitur frondeas (nam hoc verbo, quo Graecum *θαλλοῦ στέφανος*

mosthenes etiam choreutas aureis, non hederaceis coronis ornatos producere voluit. Mid. 23 p. 520.)

[1]) hoc sumendum est, etsi exempla desunt.

[2]) MdAJ. IX p. 289 v. 28; nam [*χρυσῶι* (non *κιττοῦ*) *στεφάνωι κα*]*τὰ τὸν νόμον* propterea restituendum est, quod in Atticis titulis formula *κατὰ τὸν νόμον* cum frondeis coronis coniuncta non invenitur cf. p. 17 sq.

[3]) Valer. Maxim. II 6. 5. Nep. Thrasyb. 4.

[4]) American Journal of Archaeology 1890 tab. XII et XIII.

[5]) XXIV 202 p. 755 *φήσας ἀποῤῥεῖν τὰ φύλλα τῶν στέφανων* (folia radiorum ritu eminentia facile laedi poterant) cf. XXII 89 p. 616, XXIV 205 p. 756.

[6]) Demosth. in Androt. 89 p. 616.

[7]) Titulum C II 537, de cuius emendatione aut explicatione ipse Koehler videtur desperasse, ne nugis tempus teram, omitto; cf. quae adnotavit Rangabé (Antiqu. Hellén. No. 569 p. 225) qui ipse quoque de Pittakis diligentia dubitavit. Ceteris in decretis non solum populi aut senatus sed etiam paganorum, tribulium, gentilium, collegiorum denique omnium Atticorum coronae frondeae pretium semper omittitur; qua de re si in quo Attico titulo exstat *στεφανῶσαι . . . ἀπὸ δραχμῶν* vel tale quid, sine ulla dubitatione *χρυσῶι στεφάνωι* supplendum est, velut C II 195 v. 12 *στεφα*[*νῶσαι χρυσῶι στεφάνωι ἀπ*]*ὸ X δραχμῶν*.

fere exprimitur, liceat mihi coronas et oleaginas et murteas et hederaceas notare) non a singulis esse emptas, sed a ministris publicis in publicum usum confectas putem. [1]) Contra aurearum coronarum pretium in decretis populi et senatus (de ceteris postea dicam) Olympiade 119 fere antiquioribus definiri solebat verbis *ἀπὸ χιλίων δραχμῶν* aut *ἀπὸ πεντακοσίων δραχμῶν* quae verba in his titulis inveniuntur:

1.	C II 51	Ol. 102.4.
2.	C II 108	Ol. 107.4.
3.	Syll. 101	Ol. 108.2.
4.	C II 114 B v. 8	Ol. 109.2.
5.	C II 114 A v. 13	
6.	C II 114 B v. 13 C v. 13	Ol. 109.2.
7.	C II 114 A v. 6	
8.	C II 117 B	Ol. 110.1.
9.	C II 148	eodem fere tempore.
10.	C II 159 b (ex add. nov.)	
11.	Herm. XXIV tit. 15 v. 52 p. 136 sq.	Ol. 111.1.
12.	Herm. XXIV tit. 15 v. 5 p. 136 sq.	Ol. 111.2.
13.	Eph. arch. 1890 p. 16	Ol. 111.4.
14.	MdAJ VIII p. 213	Ol. 112.3.
15.	M d A J VIII p. 216	Ol. 113.4.
16.	C II 230	circa Ol. 11 1/4
17.	Athen. VI p. 482 tit. 3	ante Ol. 114.
18.	C II 171	ante Ol. 115.
19.	C II 190	
20.	C II 195	eodem fere tempore.
21.	C II 208	
22.	C II 217	
23.	Athen. VI p. 132	Ol. 115.
24.	C II 233	circa Ol. 116.

[1]) *στεφανηπλοκεῖν* Athenis quaestuosum fuisse, ut per se apparet, ita confirmatur Aristophanis verbis (Thesm. 448). Athenienses enim in cultu deorum coronis emptis usurpare turpe non duxerunt, ut Hipponienses cf. Strabo VI 5 p. 256 Cas.

25. C II 249 — Ol. 118.3.
26. C II 251 — circa Ol. 118.
27. C II 273 b (ex add.)
28. Eph. arch. 1884 p. 134
29. Eph. arch. 1886 p. 110
30. D A 1889 p. 52
31. C II 350
(27.–31.: eodem fere tempore.)

Longioribus autem formulis coronae pretium significabatur in titulis antiquissimis C I 59 (Ol. 92.3) et C II 1 b (Ol. 94.2).

C I 59 v. 10 [*στεφανῶσαι αὐτὸν χρυσῶι στε*] *φάνωι ποῆσα*[*ι δὲ τὸν στέφανον ἀπὸ χιλίων δρ*]*αχμῶν*

C II 1 b v. 23 [*δ*]*οῦναι αὐ*[*τῶι τὸν δῆμο*]*ν δωρειὰν πενταχοσίας δραχμὰς* [*εἰς κατασκευὴν στεφάνου. οἱ δὲ ταμί*]*αι δόντων τὸ ἀργύριον.*

v. 32 [— — *δοῦναι δὲ Πο*]*σῆι δωρεὰν τὸν δῆμον χιλίας δραχμὰς* [— — — *ἀπὸ δ*]*ὲ τῶν χιλίων δραχμῶν στέφανον ποῆσα*[*ι καὶ ἐπιγράψαι τούτωι στεφανοῦν αὐ*]*τὸν τὸν δῆμον ἀνδραγαθίας ἕνεκα* eqs.

Omissum autem est coronae pretium [1]) in his decretis populi:

1. C II 106 = circa Ol. 96.
2. C II 121 = Ol. 110.3.
3. C II 164 = Ol. 111.
4. C II 170 = Ol. 112.1.
5. MdAJ VIII p. 212 = Ol. 112.3.
6. MdAJ VIII p. 218 = Ol. 113.4.

---

[1]) loquor de decretis Ol. 119 antiquioribus; omitto autem titulos Herm. XXIV p. 328/9 et Athen. VI p. 321 ubi supplendum esse puto: *θαλλοῦ στεφάνωι*; decretum Nicostrati Herm. XXIV p. 329, cui verba *κιττοῦ στεφάνωι* inserenda esse supra dixi p. 10, decretum XIV p. 134 eiusd. vol. Herm. quo Tenediis (ut Mitylenaeis C II 52 c) laus sine corona, Arato fratribusque coronae oleaginae ab Atheniensibus concessae sunt. Neque magis titulum 15 Herm. vol. XXIV p. 136 sq. recte puto restitutum esse; nam neque de eadem re bis terque in contione Atheniensium esse actum (scil. de corona aurea Phyleo decernenda) credere possum, neque video cur soli Phyleo rationes reddendae fuerint aut cur

Apparet, cum populus coronas aut millenarum aut quingenarum drachmum tribuere soleret, coronae pretium tum facillime potuisse omitti, cum corona quingentarum eset data; quae coniectura eo confirmatur, quod decretorum, quae quinto sextoque loco posui probuleumatis, ut coronae quingenarum drachmum Heraclidae conferrentur, senatum rogasse videmus. (MdAJ VIII p. 213 et 216.) Quam autem rationem secuti Athenienses modo has modo illas coronas dederint, mihi perspectum non est. [1])

Coronas vero maioris aut minoris pretii populus ut viros de re publica bene meritos honoraret, dedisse non videtur, nam quod unum afferre possum exemplum certum, [2]) non plane eiusdem generis est. Anno enim 325 a. Chr., cum Miltiades quidam ad coloniam deducendam mitteretur, e trierarchis ei qui primus navem ornavisset, coronam quingentarum drachmum, qui secundus, trecentarum, qui tertius, ducentarum aut centum quinquaginta populus promisit. [3])

Senatum autem in uno, qui huc pertinet, titulo C II 114 ter coronas quingenarum drachmum dat et easdem tribules, si ex paucis quae exstant decretis concludere licet, plerumque [4]) dederunt cf. C II 554. 558. DA 1889 p. 11 p. 89.

Pagani coronas et millenarum (C II 583. Eph. arch. 1884

---

in unam coronam pecunia erogata sit, cum duae essent decretae (v. 52), neque tamen certam medelam proponere possum. Denique etiam Eph. arch. 1884 p. 130 *θαλλοῦ στεφάνωι* restituo.

[1]) Coronas millenarum drachmum his in titulis invenies: C I 59, II 1 b. 51. 108. 114 A. 117 b. 148. 159 b. 171. 195. 208. 230. 251. 809 col. b. v. 30 eqs. Syll. 101. Herm. XXIV p. 136 tit. XV v. 52. Eph. arch. 1884 p. 133.

quingenarum:
C II 1 b (v. 23) 114 B. 190. Athen. VI p. 133 tit. VII. p. 482 tit. 3 MdAJ VIII p. 213 et 216.

[2]) nam C II 43 non ita restitutum est, ut hoc exemplo uti liceat; praesertim cum praepositio *ἀπὸ* ante numerum drachmum omitti non soleat.

[3]) C II 2. 809 v. 165 eqs.

[4]) C II 2. 871 a senatu aut a tribulibus corona trecentarum ut videtur drachmum tribuitur.

p. 71—74) et quingenarum (C II 585 D A 1889 p. 11. Md A J IV p. 194. Eph. arch. 1890 p. 87 No. 53) drachmum dabant; collegiorum decreta, quibus coronae millenarum decernuntur, sunt C II 607 A et B.

Significatur autem illo additamento ἀπὸ ⁝Χ⁝ (vel 𐅅) δραχμῶν coronarum non pondus sed pretium; quae res cum ex antiquiore formula in titulo C II 1 b (v. 32) adhibita[1]), tum luculentissime apparet ex hac tabula quaestorum Minervae: C II 741 frgm. fg (vol. II part. 2 p. 104):

στεφ[άνου ὧι ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων]
ἐστεφάνωσεν τοὶ[ς Μακεδόνας[2])]
στατῆρας ΔΔΔΔΓ⊢[⊢]⊢ ἑ[τέρων]
στεφάνων δυοῖν οἷς ὁ δῆμο[ς]
ὁ Ἀθηναίων ἐστέφανωσε Ἀλέξα[νδρον]
σταιῆρας 𐅄ΔΔΔΔΓ⊢⊢
καὶ δραχμὴ χρυσίου.
στεφάνου ὧι ὁ δῆμος ὁ [Ἀ]θηναίων
ἐστεφάνωσεν Τεισαμ[ε]νὸν Παιανι[έα]
σταιῆρας ΔΔΔΔΓ⊢⊢⊢[⊢ ἐ]ννέ' ὀβολο[ὶ]
ἀριθμὸς στεφάνων ἀνθ' [ὧν τὸ] χρυσ[ίον]
ἐλάβομεν ΓΙΙ·
σταθμὸν τούτων 𐅅ΗΔΔ . . .

Pondus igitur coronarum

primae	stater. 48	=	drachm.	96
secundae et tertiae	„ $97\frac{1}{2}$	=	„	195
quartae	„ 49+9 ob.	=	„	$99\frac{1}{2}$

septemque coronarum pondus minus drachmis 650 fuit; quae cum ita sint, quintam sextamque coronam millenis, septimam quingentis constitisse et quintam sextamque circ. 195, septimam circ. 48, omnes circ. 635 drachmas aequasse sumemus.[3]) Iam auri drachmam decem drachmis argenti, coronae autem con-

[1]) cf. p. 14.
[2]) cf. Koehler, Herm V p. 226.
[3]) cf. Koehler ad loc.

fectionem 30—40 drachmis fere taxatam fuisse, ut mille drachmis et auri necessarii et operae pretium solveretur Koehler coniecit; cui coniecturae ita assentior, ut coronas non singulas esse emptas censeam.

Quarta enim corona $99\frac{1}{2}$ drachmas[1]) videtur valuisse, prima 96; operae autem pretium intra eundem annum ita variasse, ut modo quadraginta modo quinque drachmae pensarentur, licet aliam alia elegantius factam esse putes, minime est verisimile. Accedit quod novo eiusdem tabulae fragmento invento v. 18 eqs. sic recte Koehler supplevit: C II part. 2 p. 511

v. 18 *στέφανος ὃν Να[υσικλῆς . .] σάρχου*
Ὀῆθεν ἀνέθηκεν σ[τεφανωθε]ὶς ὑπὸ το(ῦ)
δήμου τοῦ Ἀθηναί[ων σταθμὸ]ν Η

cf. frgm. *e* p. 101/104 vs. 8—11 *[ἀν]έθηκεν*
Σώφι[λος — — — στεφαν]ωθεὶς ὑπὸ
[— — ἐπὶ Ν]ικοκρ[άτους ἄρχοντος σταθμὸν] 𐅄

Hanc igitur coronam quingentarum, illam mille drachmum fuisse neque pretium operae esse detractum, sed totam pecuniam a populo datam auri vi aequari apparet. Quae cum ita sint facere non possum quin statuam, ei qui coronas conficiendas susceperat, cum complurium coronarum aurum accepisset, aliquatenus licuisse in singulas coronas modo maiorem modo minorem auri vim collocare, dummodo omnium coronarum pondus auri accepti summam valeret.

IV.

Quid sit *στεφανῶσαι τὸν δεῖνα χρυσῶι στεφάνωι κατὰ τὸν νόμον.*

Ut fit in re publica senescente et iam iam interitura, omnes honores publici apud Athenienses Demosthenis fere aetate, quamvis saepe[2]) oratores ut ad maiorum simplicitatem redirent, populum admonerent, ultra modum augebantur. Praecipue vero

[1]) $97\frac{1}{2}$ drachmas fuisse conicias nota distinctionis addita: ΔΔΔΔΓ⊢⊢⊢ [⁝ ἐ]ννέ' ὀβολο[ὶ], sed frustra.
[2]) cf. Demosth. Leptin. § 124 p. 491: *ἔστι τοίνυν τις πρόχειρος λόγος*

coronas aureas [1]) saepius ac saepius tribuere Athenienses assuescebant. Itaque fieri non potuit quin sensim nimiae in coronas reliquosque honores publicos impensae viderentur importunae atque intolerabiles; [2]) praesertim cum Atheniensium vires sub finem saeculi quarti bellis ac calamitatibus [3]) ita essent exhaustae et confectae, ut plerique civium dura egestate [4]) premerentur. Quo factum est, ut cum post Demetrium Phalereum expulsum exsisterent qui simul cum antiqua libertate pristinam urbis magnitudinem revocari posse sperarent, [5]) hi viri et ceteros qua rei publicae qua singulorum civium sumptus [6]) minuere studerent et coronarum aurearum honores quamquam

ὡς ἄρα καὶ παρ' ἡμῖν ἐπὶ τῶν προγόνων πόλλ' ἀγάθ' εἰργασμένοι τινὲς οὐδενὸς ἠξιοῦντο τοιούτου ἀλλ' ἀγαπητῶς ἐπιγράμματος ἐν τοῖς Ἑρμαῖς ἔτυχον. καὶ ἴσως τοῦδ' ὑμῖν ἀναγνώσεται τὸ ἐπίγραμμα. (iam tum igitur quasi locus communis, ut hoc utar, oratorum fuerunt eae querelae quas declamavit Aeschines Ctesiphont. §§ 177—186 p. 567 sq.)

1) cf. Aeschin. Ctesiph. 177.

2) Saepius factum est, ut ad coronas aureas conficiendas pecunia, quae quotannis ad populi decreta exequenda dispensabatur, non suppeteret. cf. Syll. 101 v. 42 (C II 809 v. 200, Hartel p. 134, Fellner, *zur Gesch. d. attisch. Finanzverwalt.* p. 23).

3) ut caritatibus annonae; cf. de gravi ac diutina illa caritate, qua annis fere 330—325 a. Chr. Athenienses pressi sunt A. Schaefer Demosth. III p. 296. Koehler M d A J VIII p. 167 sq. 220 sq.

4) Plus duodecim milia Atheniensium ne binis quidem milibus drachmum esse censa ob eamque rem e civitate ab Antipatro esse remota tradit Diod. XVIII 18 cf. Böckh de oeconom. civit. Atheniens.[3] I p. 571 et II not. 799. Pauci tamen, cum multitudo mendicitatem pepeteretur, profusae luxuriae se dedisse videntur, quam legibus Phalereus frustra coercebat. cf. Cic. de leg. II § 66. Timocl. frgm. 32 Meineke: (Kock II p. 465)

ἀνοίγετ' ἤδη τὰς θύρας ἵνα πρὸς τὸ φῶς
ὦμεν καταφανεῖς μᾶλλον, ἐφοδεύων ἐὰν
βούληθ' ὁ γυναικονόμος τὸν ἀριθμὸν λαμβάνειν,
κατὰ τὸν νόμον τὸν καινὸν ὅπερ εἴωθε δρᾶν,
τῶν ἑστιωμένων· ἔδει δὲ τοὔμπαλιν
τὰς τῶν ἀδείπνων ἐξετάζειν οἰκίας.

cf. Bernays, *Phocion* p. 96.

5) vid. Droysen hist. Hellenismi II[2] p. 175.

6) cf. quae de choregia exposuit Koehler M d A J III 240, quam a Phalereo mutatam esse coniecit; neque tamen eius calculis prorsus vetamur post Demetrium expulsum novam illam choregiae rationem inventam esse statuere; sed utut haec res se habet, qua tum paupertate pressi sint Athenienses elucet (cf. quae Koehler adnotavit ad C II 461).

eos prorsus abrogare neque volebant neque audebant, certa lege restringerent. Itaque inde ab illo tempore coronarum pretium in decretis non iam addebatur, sed eius loco verbis *κατὰ τὸν νόμον* legitime fieri coronatio iubebatur. Hanc igitur formulam inde ab illo tempore usurpatam esse neque iam in decretis recentioribus illud *ἀπὸ . δραχμῶν* inveniri, priusquam rem porro tractemus, demonstrandum erit. Atque ut paucis dicam, decretorum populi, quae ante Coroebi archontis annum (Ol. 118,3 = 30 $^6/_5$) facta esse pro certo constat, formulam *κατὰ τὸν νόμον* exhibet nullum; neque magis in decretis populi, quae post illud tempus facta esse constat, verba *ἀπὸ . δραχμῶν* invenies. Restat autem, quoniam titulos, in quibus pretium eis verbis definitum est, supra enumeravi, ut tabulam addam eorum, in quibus *κατὰ τὸν νόμον* aut exstat aut necessario supplendum est. v. infra.

Coronae aureae *ἀπὸ . δραχμῶν* exemplum cuius de tempore constat ultimum in titulo C II 249, qui exaratus est *ἐπὶ Κοροίβου ἄρχοντος*, invenimus v. 25: *[ἐπαινέ]σαι Τιμοσθένην <ην> Δημοφά[νου ἀρετῆς ἕνεκα καὶ ε] ὐνοίας ἣν ἔχω[ν διατ]ελεῖ π[ερὶ τὸν δῆμον τὸν] [Ἀθηνα]ίων καὶ στε[φανῶσαι] αὐτ[ὸν χρυσῶι στεφάνωι ἀπὸ. δ]ραχμῶν κτλ.*

Eodem fere tempore tituli C II 251. 273 b. 350. Eph. arch. 1884 p. 134. 1886 p. 110 D A 1889 p. 52, quos p. 14 sub num. 26—31 enumeravi, videntur confecti esse.

Primum exemplum coronae legitimae certi temporis invenies in decreto C II 263 (Ol. 119,2 = 30 $^3/_2$ incisum); circa idem tempus aut non multo ante C II 243 conscriptum est.

His in titulis *κατὰ τὸν νόμον* exstat:

1.	C II 243	Ol. 118.4—119.3.
2.	C II 263	Ol. 119.2.
3.	SB 1887 p. 1062 I5.	Ol. 119.2. [1])
4.	C II 282	circa Ol. 120.
5.	C II 287	
6.	C II 292	

1) cf. p. 21.

7. DA 1888 p. 222 circa Ol. 121.1.
8. C II 300 Ol. 121.2.
9. Herm. XXIV p. 326 tit. 24 post Ol. 121.1.[1])
10. C II 567 v. 9 Ol. 123.4.
11. Eph. arch. 1887 p. 29 }
12. SB 1887 p. 1067 II5 } Ol. 122—124 fere.
13. C II 314 + Eph. arch. 90 p. 69 sq. Ol. 124.1.
14. SB 1887 p. 1061 I4[2]) }
15. C II 331 } circ. med. saec. III.
16. C II 335 }
17. C II 383 circa finem saec. III.[3])
18. SB 1887 p. 1068 II6 saeculi secundi.[4])

Praetera *κατὰ τὸν νόμον* exstat (aut supplendum est) in titulis quibus continentur honores prytanum:

C II 390. 408. 417. 425. 426. 431. 459. 471 (saeculi III exeuntis aut saecul. II)

et in decretis in honorem agonothetarum Thesei Ol. fere 155—158 factis: C II 444. 445. 446. Sequitur, ut titulos ephebicos[5]) enumerem.

In titulo C II 316 (Ol. 124.4 fere) ephebis corona aurea legitima decernitur. C II 338 (Ol. fere 126) ephebi et cosmeta *χρυσῶι στεφάνωι κατὰ τὸν νόμον* simul coronantur.

C II 341[6]) si modo recte Koehler restituit, ephebis corona aurea sine ullo additamento tribuitur.

---

[1]) cf. Dittmar p. 165.

[2]) cf. p. sq.

[3]) Koehler MdAJ V p. 329.

[4]) sic Wilhelm Hermes XXIV p. 333; multo antiquius putavit hoc decretum Dittmar l. l. p. 74 et 149 sed rationibus parum solidis nisus.

[5]) Ephebi ut coronis aureis quotannis publice ornarentur populus tum demum instituit, cum non iam omnium civium filii legitima aetate ei ordini adscribebantur, sed nobilissimus et ditissimus quisque, non ut animum corpusque excoleret, sed ut splendidis illis pompis festisque interesset, recipiebatur. cf. Koehler MdAJ IV p. 334.

[6]) Hoc decretum eodem fere tempore, quo C II 316, factum esse non sine causa statuit Kumanudes (cf. Koehler. not.); in his decretis cosmeta a populo nondum corona ornatur.

SB 1887 p. 1062. I. 5. Tabula a laeva parte integra.
cf. Dittmar. Stud. Lips. XIII p. 221.

v. 3. *Ἑ[λ]λ[ήνω]ν [π]α[ν]τα[χοῦ] δια[τελεῖ ε]ὔν[ους ὢν τῶι δήμωι τῶι Ἀθ]*
η[ναί]ων καὶ [ἰδ]ίαι [τ]οῖ[ς περι[τυν]χ[άνουσιν Ἀθηναίων ὧν ἕ]
5. *[νεκ]απολί[την αὐ]ι[ὸν ὁ]δῆμος ἐπόη[σεν καὶ νῦν παρὰ τοῖς β]*
ασιλε[ῦ]σι δ[ια τ]ρίβω[ν] ἐν δ[ε]ίκ[ν]υ [ται τὴν εὔνοιαν τῶι δήμ]
ωι [λ]έ[γ]ων κ[αὶ] πράττω[ν] ἀγα[θ]ὸν ὅτι [ἂν δύνηται ὑπὲρ αὐτο]
ῦκ . σ . . . σ . . . ομε[ν]ος ὑπὸ τ[ῶν βασιλέων? — — —]
. τ . . . λ . . NJΔ αςγε . . . ει . . συν[εργεῖ καὶ τοῖς βασιλε]
10. *[ῦ]σιν [καὶ] τ[ῶι δήμ]ωι τῶ[ι] Ἀθ[ην]αίων — — — — — —*
λης . . ο . . . σλ . ου . . . . τ . . . . ναμ — — — — — —
Γ . . . Τ . . . . ςαλλ — — — — — —
ΘιΤΛ̄ . . . . — — — — — —
ΕΟ . ΟΣιΩΙΛΙ . . [ἀρετῆς ἕν] ε[κ]α κα[ὶ εὐνοίας τῆς εἰς τὸνδ]
15. *[ῆ]μ[ον] τ[ὸ]ν Ἀθην[αίων καὶ στεφα]νῶσ[αι αὐτὸν χρυσῶι στεφά]*
[νωι κατ]ὰ τὸν ν[ό]μ[ον καὶ ἀν ειπ]εῖ(ν) τὸ[ν στέφανον Παναθηνα]
[ίων τῶι γ]υμνι[κῶι ἀγῶνι. ἐπιμελ]ε[θῆναι δὲ τῆς ποήσεως]
[τοῦ στεφάνου] το[ύτου τὸν ταμί]α[ν τοῦ δήμου κτλ.]

v. 5 init: *ΑκΙΑ* in lapide; *[νεκ]α* scripsi.

vs. 16 *ν*, litterula ultima vocis *ἀνειπεῖν*, errore lapicidae omissa est. Titulus confectus est altero Olympiadis anno; cf. Koehler ad C II 354, item Ol. 119, 2 factum.

SB 1887 p. 1061, 4. Dittmar p. 223.

[— γνώ]
2 *[μην] δὲ (ξυμβ)[άλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον]*
[ὅ]τι δοκεῖ τῆι βουλ[ῆι ἐπ αινέσαι . . . .]
θραίων καὶ στεφ[ανῶσαι χρυσῶι στεφάνωι κατὰ]
5 *τὸν νόμον εὐνοί[ας ἕνεκεν ἣν ἔχει περὶ τὸν δῆμ]*
ον τὸν Ἀθηναίων [καὶ ἀνειπεῖν τὸν στέφανον Δι]
ονυσίοις τραγωιδ[ῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι . τῆς δὲ πο]
ήσεως καὶ τῆς ἀν[αγορεύσεως τοῦ στεφάνου ἐπι]
[μ]ελεθῆναι τὸν ἐπὶ [τεῖ διοικήσει εἶναι δὲ αὐτο]
10 *[ῖς] προεδρίαν ἐμ πᾶ[σι τοῖς ἀγῶσι οἷς ἡπόλις τί]*
[θησι] κτλ.

v. 2 *ΔΕΙΙΛΥ* in lapide; *δὲ ξυμβ* Dittmar. Cum versus singulos 37 fere litterarum fuisse e vs. 1—3 appareat, fieri vix potest, quin vs. 6 sq. *τῶι καινῶι ἀγῶνι* suppleatur; quae cum ita sint, nescio an titulus anno 28$^6/_5$ recentior sit. cf. p. 34 et p. 40 sq.

C II 465—471 (Ol. 162—164 fere) cosmeta corona aurea *κατὰ τὸν νόμον* donatur, ephebi corona aurea sine ullo tali additamento. C II 469 et 470 praeterea ephebi et cosmeta una simulque coronam auream *κατὰ τὸν νόμον* accipiunt. C II 478—482 (481 et 482 decreta senatus sunt) ephebi corona aurea sine additamento, cosmeta ab ephebis concessu populi aut senatus *τῶι χρυσῶι στεφάνωι* [1]) i. e. ea corona, quam ephebi in cosmetae honorem faciendam curaverant, coronantur.

Praeterea in decreto, quo Zenoni Cittiensi, principi stoicorum, corona aurea, sepulcrum publicum, alii honores conferuntur, corona aurea [2]) verbis *κατὰ τὸν νόμον* definitur.

Deest *κατὰ τὸν νόμον* in his fere titulis:

1. C II 312	Ol. 123.3.
2. D A 1889 p. 58	circa Ol. 128.
[3. Md A J V 327 tit. 13] [3])	circa fin. saec. III.
4. C II 420	circa fin. saec. III.

Recte suppletum est *κατὰ τὸν νόμον* in titulis C II 254 (Ol. 119.2/3) et C II 276 (sub finem saeculi quarti); C II 273 (sub finem saeculi quarti) et 328 (Ol. 124.4) *κατὰ τὸν νόμον* eodem iure, quo *ἀπὸ. δραχμῶν* restitui posse Koehler vidit; ergo restituendum est, cum *ἀπὸ. δραχμῶν* post Ol. 118 non iam inveniri demonstraverim. Idem supplementum ad spatia C II 311 et 320 explenda aptissimum mihi videtur; neque quicquam est cur non in titulis C II 286. 309. 351. 438 b. Md A J V p. 327. tit. 12 Eph. 1885 p. 142 *κατὰ τὸν νόμον* post coronam

[1]) *τῶι χρυσῶι στεφάνωι* Koehler praeterea C II 465 v. 38 restituit.

[2]) Decretum, quod factum est *ἐπὶ Ἀρρενηίδου ἄρχοντος* Ol. fere 129 (non multo post Zenonis mortem) genuinum esse evicit Wilamowitz Antigonus Caryst. p. 340 (interpolatum et ex duobus decretis mistum et compositum esse censuerat Droysen. Herm. XVI p. 291 sq.). (Coronae mortuis saepius datae sunt. cf. C II 564. C I Gr 2426. 2427. 3255. C II 564, decretum tribulium Erechtheidos, initio saeculi tertii confectum videtur.)

Decretum D A 1889 p. 208 Diocle archonte factum, quo Zeno quidam, amicus regis Ptolemaei (primi) collaudatur, ad philosophum referendum non putem.

[3]) Hoc in titulo suppleri potest [*κατὰ τὸν νόμον εὐνοίας ἕνεκεν*] pro: [*φιλοτιμίας ἕνεκα καὶ εὐνοίας*].

suppleamus. Etiam titulo 382 a Reuschio (Dissertationes Agoratens. vol. III p. 126) sagaciter restituto corona legitima inserenda erit, etsi vss. 12 et 13 ne ego quidem supplere audeo.

Falso autem suppletum est

C II part. 2 p. 511 tit. 741 A frgm. h v. 18—20

[στέφανος ὃν ἡ βουλὴ ἡ ἐπὶ Χ]αιρώνδου
[ἄρχοντος ἀνέθηκεν στεφαν]ωθεῖσα
[ὑπὸ τοῦ δήμου κατὰ τὸν νόμο]ν

(nam versibus 4—6 frgm. e p. 101 et 104 coniectura non fulcitur, quod illic *ἡ βουλὴ ἡ ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος ἀνέθηκεν στεφανωθεῖσα ὑπὸ τοῦ δήμου κατὰ τὸν νόμον* restituere spatii angustiis vetamur, verba autem *ὑπὸ τοῦ δήμου* omitti non potuerunt). Rectissime igitur Dittmarum [1]) statuisse puto, latere nomen civitatis:

[ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ (sic!) . . . . . .*]ν*.

Satis igitur demonstravisse mihi videor, anno fere Ol. 118.4 coronarum aurearum honores lege esse restrictos; sequitur ut eius legis argumentum quoad potero exquiram, profectus ab eis quae Koehler C II p. 251 ad titulum ephebicum 467 adnotavit: „*Ex titulis adparet, coronas aureas inde a saeculo tertio non iam decretas esse, nisi eas, de quibus legibus statutum erat. Quod quin ex inopia aerarii in dies crescente explicandum sit non dubito.*“ Neque cuiquam, [2]) credo, dubium erit quin parsimoniae rationem habere, et nimiis in coronas impensis finem facere voluerint Athenienses. Sed quid legibus de coronis statutum fuisse censebimus? Num hoc, quibus viris aut cur coronas aureas conferre liceret? Hoc si amplectimur, non intellegimus cur formulae *ἀπὸ . δραχμῶν* et *κατὰ τὸν νόμον* in eodem titulo

[1]) l. l. p. 218, qui frgm. e non respexit. Equidem versus 4—6 non ad coronam dedicatam pertinere puto, verba autem *κατὰ τὸν νόμον* coniungenda esse cum *ἀνέθηκεν*; neque tamen dicere possum, quid senatus ex lege dedicaverit. Certe verba *καὶ ἀργυρι* . . ad coronarum catalogum non quadrant.

[2]) nisi forte quis Dittmaro credet, Athenienses „*cupiditati dandi frena dedisse*“ et utcunque poterant honores effudisse (p. 147).

coniunctae nunquam [1]) reperiantur neque magis cur post saeculum tertium omnino Athenienses coronae pretium non iam formula *ἀπὸ . δραχμῶν* definiverint. Quae si quis secum reputaverit, fore ut ad eam coniecturam adducatur, verbis *κατὰ τὸν νόμον* coronae pretium fuisse notatum spero.

Athenienses igitur non ita multo post Coroebi annum (Ol. 118.3) lege sanxisse puto, ne amplius coronae conferrentur, quae pluris quam quingenis [2]) drachmis constarent; quam legem talem fere fuisse fingo: *ἐάν τινα στεφανοῖ ὁ δῆμος, μὴ ποιῆσαι τὸν στέφανον ἀπὸ πλείονος ἀργυρίου ἢ πεντακοσίων δραχμῶν.*

Ac similes leges alibi fuisse constat ut in insula Teno: CIG 2333 (= Newton-Hicks 376) et CIG 2330 *τῶι ἐκ τοῦ νόμου στεφάνωι*; Jasi: BdCH 1884 p. 454 (= 1889 p. 35) *τῶι ἐννόμωι στεφάνωι*; Newton-Hicks III1 420 v. 18 et 26: *χρυσῶι στεφάνωι ἀπὸ πλήθους τοῦ ἐκ τοῦ νόμου*; BdCH 1887 p. 77: *χρυσωῖ στεφάνωι ἀπὸ πλήθους ὅσον πλίσιον ἔξεστιν ἐκ τῶν νόμων.* Prienae: *στεφάνωι χρυσῶι τῶι ἐκ τοῦ νόμου* Journ. of Hellen. Stud. IV p. 238. Newton-Hicks III1. 413. et saepius.

Verba: *χρυσέωι στεφάνωι τῶι ἐκ τοῦ νόμου μεγίστωι* invenies in decreto collegii ad Solem colendum in insula Rhodo constituti CIG 2525 b cf. Böckhii adnot. verba *ὁ δᾶμος στεφανοῖ Ξενότιμον Τιμοξέ[νου ἀ]πὸ ἀργυρίου ἐκ τῶν νόμων πλείστου* in titulo in insulo Co reperto Syll. 330 = BdCH V p. 201 tit. 1 v. 20.

---

[1]) sic fere dispositae: *στεφανῶσαι τὸν δεῖνα κατὰ τὸν νόμον χρυσῶι στεφάνωι ἀπὸ . δραχμῶν.* Forsitan quispiam dixerit has formulas nimis molestas et longas esse, quam ut eas Athenienses usurparent. At cur ne in eis quidem decretis, ubi *κατὰ τὸν νόμον* omissum est, pretium coronae definitum est, id quod ante Ol. 119 semper fere factum esse vidimus? (Coronae pretium addendum erat, nisi lege fixum et statutum erat. Miror hoc Dittmarum neglexisse.)

[2]) Numerum esse incertissimum vix est quod moneam, sed verisimilem esse meam coniecturam omnes credo concedent; aegre autem fero, quod ex tabulis quaestorum Minervae, quoad video, neque probari neque refelli potest.

Facile est plura [1]) exempla afferre, sed ex eis, quae enumeravi, satis apparere puto multis locis Graeciae lege definitum fuisse, quantum auri ad coronam conficiendam collocari liceret. Consentaneum igitur est, apud Athenienses quoque fuisse talem legem. Restat, ut addam legem illam non solum ad populi senatusque [2]) pertinuisse decreta, sed eodem tempore eademque ratione eas quoque coronas, quae a tribulibus a paganis a cleruchis, a collegiis denique sodaliciisque omnis generis dabantur, ab Atheniensibus esse restrictas. Neque enim unquam in his decretis post Ol. fere 119 coronae pretium, ut antea, verbis *ἀπὸ . δραχμῶν* definitum est sed aeque atque in populi decretis formula *κατὰ τὸν νόμον* usurpata. Quod ut demonstrem titulos afferre satis habeo:

κατὰ τὸν νόμον exstat in decreto tribulium Erechtheidis C II 564 (circ. fin. saec. III); restituendum est C II 567 v. 9 (in decreto tribulium Aegeidis Ol. 123.4 facto).

Paganorum decretum quo corona legitima tribuitur unum afferre possum Eph. arch. 1884 p. 137—140, quod Ol. 118—123 fere factum [3]) esse statuit Philius; praeter hoc nullum inveni decretum paganorum post Ol. 119 confectum, quo corona aurea esset data.

Cleruchorum in decretis *χρυσῶι στεφάνωι κατὰ τὸν νόμον* invenies:

C II 592 (circ. Ol. 140). C II 594 (circ. Ol. 163); idem restituendum erit in titulo SB 1887 p. 1067 II 5c v. 15, qui Seleuci primi temporibus, circ. Ol. 122—4 exaratus est (cf. v. 22 et II 5ab v. 16, Wilhelm. Herm 23 p. 460 sq.).

Collegiorum quoque in decretis post quartum fere saeculum coronas non esse datas nisi legitimas ex his titulis cognoscitur:

---

[1]) velut MdAJ XI p. 83, XIV p. 53. BdCH 1889 p. 272 etc.

[2]) Senatus decreta, quibus corona *κατὰ τὸν νόμον* confertur, afferre non possum; quod casui tribuendum erit.

[3]) cf. p. sq. not. 1.

1. Eph. arch. 1884 p. 135 sq. (Ol. fere 118—123).[1]
2. Eph. arch. 1887 p. 3 (Ol. fere 140) (decreta militum qui Eleusine, Panacti, Phylae stativa habebant).
3. C II 602 circa Ol. 127[2] (decretum Mesogeorum).

V.

De formulae *κατὰ τὸν νόμον* in decretis populi vi atque usu.

Satis iam demonstravisse mihi videbar, Athenienses post Demetrium Phalereum expulsum coronae pretium lege restrinxisse, neque abhorrere videbatur haec opinio ab eis, quae de formulae *κατὰ τὸν νόμον* vi atque usu a viris[3] doctissimis adhuc erant disputata, cum Dittmari Lipsiensis dissertatio[4]) in manus meas venit docte atque eleganter scripta qua ille demonstrare conatus

[1]) Ad Poliorcetae potius quam ad Gonatae filii aetatem hoc decretum esse referendum iure Philius iudicasse mihi videtur; neque quod v. 31 *Διονυσίων τῶν ἐν ἄστει τραγῳδῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι* a formulis antiquiorum decretorum populi recedit, inde temporis indicium elici debere putem; nam fieri sane potuit, ut decreta populi, quae a viris eruditis conficiebantur, diutius antiquum usum servarent; neque dissimile est, quod symproedri in praescriptis decreti cleruchorum Sami multo ante, quam in Atheniensium decretis, commemorantur cf. Curtius Inschriften zur Geschichte von Samos.

(Antiquas autem tragoedias, si non prius, inde a medio fere saeculo quarto Athenienses denuo agendas curabant cf. Koehler MdAJ III p. 134 (= C II 973); Oehmichen apud Iwan Mueller, Grundriss V, 3 p. 193.

[2]) cf. Dumont la chronologie des archontes Athéniens p. 128 Koehler ad C II 335. C II 603 mihi ante annum 307/6 = Ol. 118,2 confectum videtur; neque absunt vestigia, e quibus hoc decretum antiquius quam 602 esse colligi possit. Nam in decreto C II 603 abest et nomen paternum eius qui rogationem tulit et annus, quo Epigenes munere functus est, neque officia, quae archon praestiterat, tam accurate atque C II 602 enumerantur et formula q. e. *ἀνειπέτω ὁ κῆρυξ* cum antiquissimis formulis congruit cf. p. 40 sq. Procleides autem Ceramensis in titulis paullo antiquioribus saepius invenitur cf. Herm XXIV p. 140 sq. C II 1020 col. V.

[3]) Koehler MdAJ VIII p. 220 not. 1. Bürmann Annal. Philol.-Paedag. Suppl. IX p. 644. Wilhelm, Herm XXIV p. 330 sq.

[4]) Stud. Lips. XIII p. 65 sq.

est, *κατὰ τὸν νόμον* et in decretis coronarum et in civitatis decretis et in eis, quibus ius agros donumque possidendi confertur (quae *ἐγκτήσεως* decreta brevitatis causa appellare liceat) nihil valere nisi „*nam*[1]) *hoc lege praescribitur*“ vel ut vernaculo utar sermone „*von Rechtswegen*“. Putavit igitur vir doctissimus fuisse tempus, cum leges[2]) iuberent: *δεδόσθαι στέφανον χρυσοῦν τῷ τὰ καὶ τὰ ποιήσαντι, δεδόσθαι ἔγκτησιν, οἷς ἂν προξενία δοθῇ* etc. et ad eas leges pertinere verba *κατὰ τὸν νόμον*.[3]) Quam ut refellam coniecturam, cum nova sit ac speciosa, Dittmari argumentationes paullo accuratius examinandae sunt; videamus igitur, quae ad stabiliendas suas alienas refutandas coniecturas ille protulerit. Ac primum quidem, ut omittam, quae contra Koehleri eam quam sibi finxit opinionem[4]) Lipsiensis disseruit, de enctesi legitima verba faciam. Dittmar formulam *κατὰ τὸν νόμον* in eis *ἐγκτήσεως* decretis quae non ad proxenos aut euergetas pertinerent, non usurpari se invenisse gavisus, annis 325 ad 315 fere lege fuisse sancitum, ut omnibus, qui proxeni et euergetae fierent ius agros et domos possidendi conferretur, sibi persuasit; nullum enim exstare proxeniae et euergesiae titulum intra annos 325 et 315 a. Chr. confectum, qui careret verbis *εἶναι δὲ αὐτῶι καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν κατὰ τὸν νόμον*. Ac si

[1]) cf. l. l. p. 143.

[2]) l. l. p. 171, ubi sane, quid intersit inter legem (*νόμον*) et decretum (*ψήφισμα*) neglexit. Nam si quis in contione quid rogaverat, ea, quae ex hac rogatione fiebant, *κατὰ τὸ ψήφισμα, ὃ ὁ δεῖνα εἶπεν*, non *κατὰ τὸν νόμον* fieri dicebantur. cf. C II 570. 571. 482 v. 50. Demosth. Nicostr. 26. p. 1252.

[3]) In parergo ut dicunt moneam, *κατὰ τὸν νόμον* interdum non ad unam legem sed ad omnium legum summam pertinere, ut idem fere sit, ac *κατὰ τοὺς νόμους* cf. tit. Delphici (Wescher-Foucart Inscriptions de Delphes) ubi *βεβαιωτὴρ κατὰ τὸν νόμον, βεβαιωτὴρ κατὰ τοὺς νόμους, βεβαιωτὴρ κατὰ τὸν νόμον τᾶς πόλιος, βεβαιωτὴρ κατὰ τοὺς νόμους τᾶς πόλιος* alia eodem tempore eademque ratione usurpata videmus. (in titulis atticis C II 401 (et 414) *κατὰ τοὺς νόμους* alterius formulae loco invenitur.)

[4]) p. 140 „Koehler censuit, lege quadam fuisse prohibitum, ne quis mortalis corona donaretur mille drachmis cariore. Hanc vero legem significari verbis *κατὰ τὸν νόμον*.“

omnibus proxenis illo tempore possessio[1]) domus fundique concessa fuit; nonne cum hereditaria proxenia coniungi debuit enctesis hereditaria? quod non semper factum esse C II 171 docet. Prorsus autem incredibile videtur, ea quae novis proxenis tribuerentur ceteris non esse data. Quod si Dittmari ratione accepta decretum,[2]) quo anno Ol. 114.3 = $32^2/_1$ Euenori Euepii filio, medico publico, proxeno et euergetae populi Atheniensium, illa possessio collata est, ex ea lege factum esse putabimus, neque in causis praemissis, quas nos »*motivas*« vocare consuevimus, neque usquam eius legis mentionem esse factam iure mirabimur. Sed omnino nihil inde efficitur, quod *κατὰ τὸν νόμον* non exstat in titulis *ἐγκτήσεως* nisi eis qui ad proxenos pertinent. Nam omnibus fere peregrinis, quibus *ἔγκτησις*, etiam proxenia conferri solebat ac profecto equidem nullum adhuc novi titulum, quo *γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησις* viro qui neque proxeni neque euergetae honore frueretur aut ipso titulo afficeretur, concessam fuisse constaret. Nam ut cursim titulos percenseamus, quibus Schubert[3]) *ἔγκτησιν* sine proxenia datam esse perhibuit, C II 176 et C I 159 ad euergetas pertinent, quos proxenorum honoribus non caruisse[4]) constat, C II 168 huc non pertinet; nam hoc decreto possessio praedii ad fanum aedificandum [*ἔγκτησις χωρίου, ἐν ὧι ἱδρύσονται τὸ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης*] mercatorum Citiensium collegio concessa est. C II 139. 142. 165 fragmenta sunt tam mutila, ut pristinam formam aut argumentum restituere vix possimus; neque magis adhuc C II 367[5]) ita restitutum est, ut quid fuerit eius decreti argumentum pro certo statuere audeam.

---

[1]) sic fere *ἔγκτησις* verti potest Latino verbo.

[2]) C II 186; cuius tituli partes non uno tempore esse confectas recte statuit Dittmar p. 68 sq., quod cum Euenorem aliquamdiu *ἔγκτησιν* non habuisse appareat, si unquam, in hoc decreto *κατὰ τὸν νόμον* addendum fuit, si verum vidisset Dittmar.

[3]) de proxenia Attica p. 40.

[4]) hoc vel ex tituli modo laudati verbis v. 23—24 *ἐπειδὴ Εὐήνωρ δι' εὐεργεσίαν πρόξενος ἐγένετο* collatis vs. 6—9 eiusdem tituli satis apparere censeo. Ipse Dittmar C II 176 in decretis proxenorum enumerat p. 135,16.

[5]) Nullius pretii supplementa ea, quae proposuit Dittmar p. 148,

Titulos autem 369 et 370 ad hospites pertinere ipse Dittmar non sine causa statuit.[1])

Lapis autem 222 ipso illo loco, ubi de enctesi actum fuit, adeo mutilatus est, ut eum quoque titulum in hac quaestione neglegere tutius[2]) sit.

Restant igitur decreta C II 121 et 413, ubi non terrae (*γῆς*) sed domus (*οἰκίας*) possidendae ius tribuitur, C II 121 Arcananibus, qui pugnae Chaeronensi interfuerant, dum in patriam reverti possent, C II 413[3]) Euxenidae Phaselitae, qui item Athenienses in bello adiuverat.

Contra vide Dittmari tabulas p. 135—137, ubi 31 fere tituli, quibus proxenis et euergetis *ἔγκτησις* donata est, enumerantur; iam miraberis *ἔγκτησιν κατὰ τὸν νόμον* adhuc in titulo, qui non ad proxenos pertineat, inventam non esse? exstant autem verba *κατὰ τὸν νόμον* in *sex* decretis: C II 170. 171. 208. M d A J VIII p. 218. Herm XXIV p. 329. D A 1889 p. 14. (multo post aetatem, qua illam legem valuisse coniecit Dittmar, decretum C II 414 confectum est, quo *ἔγκτησις κατὰ τοὺς νόμους* datur.) Quae cum ita sint, equidem eis, quae disputavit Dittmar, minime adducor, ut novam eius de formula *κατὰ τὸν νόμον* sententiam probem; sed sic fere puto de hac re statuendum esse. Ius domum agrosque possidendi, cum iam antea condicionibus quibusdam restrictum esset,[4]) circa Ol. 112 fere Athenienses et quos agros aut quas domos peregrino occupare liceret et quanta pecunia, denuo lege accurate definiverunt;

---

esse puto; nam cur formula *probuleumatica* quae dicitur, *γνώμην δὲ ξυμβάλλεσθαι τῆς βουλῆς εἰς τὸν δῆμον*, omissa est? cf. Hartel p. 66.

[1]) p. 86 sq.

[2]) Certe hoc nemo, credo, demonstrabit, Thessalis non *οἰκίας* solum sed etiam *γῆς ἔγκτησιν* concessam esse.

[3]) Quamquam titulus mutilus est, tamen satis certum esse videtur, *γῆς ἔγκτησιν* omissam fuisse. Ius autem domus possidendae vilius fuisse Dittmarum non fugit (cf. l. l. p. 138).

[4]) cf. Wilh. Herm. XXIV p. 331. Verba tituli C II 121 *ἔγκτησιν ὧν ἂν οἰκιῶν βούλωνται* recte puto a Wilhelmo sic explicata esse: Arcananibus propter eximiam in populum Atheniensium benevolentiam, ut quas vellent domos acquirerent, praeter morem concessum esse.

itaque inde ab eo fere tempore verba *κατὰ τὸν νόμον* in decretis *ἐγκτήσεως* addenda [1]) erant, ut factum est C II 170. 171. 208 ceterisque in titulis quos modo enumeravi. Sed brevi Athenienses cognoverunt, agri et aedificii pretium incertius et mobilius esse, quam ut in omne tempus lege definiri possit; qua de causa legem illam ita mutaverunt, ut ubicunque ius agros domumque possidendi conferretur, quantam pecuniam collocare liceret, addendum esset; Ol. fere 127 a. Chr. cf. C II 369 et 370 (quos titulos probabiliter restituit Wilhelm, Herm. XXIV p. 336 sq.) 380. Ath. VI 136 (= Herm. l. l. p. 335). SB p. 1068. II 6; p. 1069. II 8 (= l. l. p. 331).

Hoc autem priusquam plures tituli inventi erunt diiudicare nolim, num circa finem saeculi II. Athenienses ad antiquum usum reversi fundi pretium lege restrinxerint (C II 414); nam sane fieri potuit, ut ad alias condiciones verba eius tituli *κατὰ τοὺς νόμους* spectarent. Falso autem huc rettulit Dittmar C II 423, cum verba: *δεδόσθαι δὲ αὐτῶι καὶ προξενίαν καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν αἰτησαμένωι κατὰ τὸν νόμον* mirum in modum dirimenda et sic intellegenda putaret: Detur ei proxenia; et „si voluerit ius quoque acquirendi domos et agros, nam hoc lege praescribitur." (p. 152)! Beneficia sane non obtruduntur; sed quid causae fuit, cur hanc sententiam Athenienses tam sollemni ratione profiterentur? Porro Athenienses eius aetatis non tam balbos fuisse putem, ut quid vellent dicere non possent. Quicunque autem libero iudicio illa verba legerit, omnia artissime coniungenda et ad proxeniam quoque verba *αἰτησαμένωι κατὰ τὸν νόμον* referenda esse concedet. Neque est cur falso suppletum, aut, id quod Dittmaro placuit, mira lapicidae socordia turbatum credamus C II 438.

Recte autem Dittmar, quem de titulis emendandis atque

---

[1]) potuit tamen *κατὰ τὸν νόμον* etiam his in formulis (ut in coronarum titulis cf. p. 22) omitti; condiciones enim legis decreto mutari non posse per se intellegebatur. C II 176. 209; C II 186: (*ἔγκτησιν . . . ἀπέχοντι τῶν κοινῶν καὶ τῶν ἱερῶν*) unam eius legis paragraphum, quippe quae saepius violata esset, adpositam esse puto.

explicandis optime esse meritum [1]) me non fugit, etsi nihil fere ex eis, quae de Atheniensium rebus publicis demonstrare studuit, probare possum, participio illo q. e. *αἰτησαμένῳ* futuras res notari perspexit, quam rem neglexit Hartel, [2]) qui tamen ad veritatem propius quam Dittmar accessit. Athenis enim lege accurate statutum fuit, qua ratione honores essent [3]) petendi; quam petitionem cum omisissent tres illi peregrini (423 homo Romanus, 438 Pergamenus, 455 Milesius) eis honores collati sunt ea condicione, ut legitimam petitionem instituerent.

Iam ut ad civitatis decreta transeamus, Dittmar primo ei, cui civitas data esset, ut quamvis phratriam, tribum, pagum sibi eligeret, concessam fuisse, brevi autem post civium recognitionem anno Ol. 108,3 = 34⁶/₅ factam [4]) hoc ius ita restrictum esse ut quaedam phratriae (tribus pagi) [5]) excluderentur; sed Ol. fere 114 nova lege tribus pagos phratrias eligendi liberum arbitrium esse factum; quam ad legem formulam *κατὰ τὸν νόμον*, quae ab eo demum tempore inveniretur, referendam esse contendit. Atque illud quidem, anno Ol. 108,3 quas phratrias tribus pagos cives novi eligere deberent, esse constitutum, cum ad id tempus omnium aditus patuisset, quamvis magnae remaneant dubitationes, [6]) aliquatenus eum confirmasse concedam;

---

[1]) Plane adsentior Dittmaro, decretum in Nicostrati honorem factum (cf. Herm. XXIV p. 329) non recte a Wilhelmo esse restitutum; neque adhuc peregrinus an civis fuerit Nicostratus constat.

[2]) Hartel l. l. p. 237.

[3]) Etiam hoc lege cautum fuit, quantum temporis intercedere deberet, priusquam rogatio in senatu probata ad populum ferri posset. cf. Eph. arch. 1890 p. 69 v. 54 *τοὺς πρυτάνεις οἳ ἂν λάχωσιν προεδρεύειν εἰς τὸν δῆμον, ὅταν ἐξέλθωσι αἱ ἐκ τοῦ νόμου ἡμέραι τῆς αἰτήσεως, χρηματίσαι κτλ.* (*αἴτησις* est petitio, sed hoc loco etiam libellus senatui datus significatur cf. quae adnotavit editor graecus).

[4]) cf. Harpocrat. s. v. *διαψήφισις*. Aeschin. Tim. 77 p. 99 R. Demosthen. in Eubulid. ed. Westermann praefat.

[5]) Ne tribus quidem aut pagos ex arbitrio tum esse electa putem; titulum enim C II 230 a Dittmar (p. 176) rectius quam Buermann (annal. philol. paed. suppl. IX p. 644) explicavit.

[6]) Recte monuit Dittenberger (Syll. I 43) titulorum numerum adhuc minorem esse, quam ut certi quid colligere liceat; neque sine ulla veri-

sed illud prorsus omisit demonstrare, tam brevi tempore post Athenienses adeo indulsisse languori et mansuetudini, ut ad priorem usum, quem modo experti antiquaverant, non modo redirent, sed lege eum stabilirent. Parum enim vera sunt, quae vir doctissimus probare nisus est, constanti usu formulas longiores usque ad annum fere 320, inde ab eo anno verba *κατὰ τὸν νόμον* usurpata esse. Tituli enim C II 397 verba infelicissimo momento Dittmar sic restituenda esse coniecit (p. 189): [*εἶναι δ' Ἀθηναίους αὐτὸν καὶ τοὺς ἐκγ*]*όνους αὐτοῦ καὶ γ*[*ράψασθαι φυλῆς καὶ δήμου καὶ φρατρία*]*ς* [*ἧς ἂμ*] *βούληται πα*[*ρόντι Ἀθήνησι κατὰ τόν νόμον*] violata lege grammatica; neque si *παρόντα* restituerimus, eam tituli formam, in qua acquiescamus, nacti erimus;[1]) nam unde qui legent *κατὰ τὸν νόμον* ad *παρόντα Ἀθήνησι* referendum non esse cognoscent?

Praeterea absenti phratriam eligere non licuisse exemplis non probavit neque potuit probare, sed plane finxit vir doctissimus.[2]) Quod si in hoc titulo *πλ*[*ὴν ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσι*] vel tale quid supplendum est concidunt viri doctissimi argumentationes, non una ex parte infirmae ac fallaces;[3]) neque est

tatis specie verba *κατὰ τὸν νόμον* notissimo illi de Thrasybuli honoribus decreto inserebat, cf. Wilhelm, Herm. XXIV p. 330 not. 1.

[1]) Minime enim mihi probatur collocatio verborum, quae sic fere disponenda fuerunt: *καὶ γράψασθαι αὐτὸν παρόντα Ἀθήνησι φ. κ. δ. κ. φ. ἧς ἂμ βούληται κατὰ τὸν νόμον.*

[2]) Phratriam eligere omnino non concessum fuit nisi ei, cui altero civium suffragio et 501 iudicum iudicio civitas confirmata erat (cf. C II 395. 396. 427. 429. 455 *καὶ εἶναι αὐτῶι δοκιμασθέντι γράψασθαι φυλῆς κ. δ. κ. φ. ἧς ἂν βούληται* quae verba etsi in recentioris aetatis titulis demum usurpata sunt, tamen etiam ante id tempus, priusquam civitatis decretum *κύριον* esset, civium iura adipisci non licuisse consentaneum est); qua de re quid causae fuerit, cur Athenis praesentem phratriam eligere civem novum oporteret, non intellego.

[3]) Hoc ne nimis urgeat velim cur Athenienses, si mutari sensum noluissent, verba mutaverint. Ea enim est titulorum condicio, ut in decretis conscribendis multo latius patuisse singulorum arbitrium, quam nostra aetate cogitari potest, facile appareat. Nam ne Dittmarum quidem puto causam afferre posse cur Athenienses pro verbis *τοὺς προέδρους οἳ ἂν λάχωσι προεδρεύειν* postea *τοὺς λαχόντας προέδρους* pro formula *εἰς τὴν*

cur legem, qua ius phratrias pagos tribus eligendi coercebatur, circa Ol. 115 abrogatam esse credamus. Accedit quod etiam in eis decretis, ubi thesmothetarum docimasiam subire cives novi iubentur, verba *γράψασθαι φ. κ. δ. κ. φ. κατὰ τὸν νόμον* inveniuntur.[1]) (C II 223. 318. 530. Herm. XXIV p. 326.) At cum initio fere saeculi ante Christum tertii docimasiam per thesmothetas instruendam Athenienses invenerunt, quid aliud spectasse eos censes, nisi ut civitatem multitudine hominum adscitorum corrumpi prohiberent? Quod si revera tum cives novi in omnes phratrias tribus pagos recipi potuissent, hoc ius restringere tum sane vix omisissent Athenienses. Quae cum ita sint, Bürmanni et Wilhelmi formulae *κατὰ τὸν νόμον* explicationem eis quae attulit Dittmar infringi concedere non possum. Sed iam redeamus ad coronas; relinquitur enim, ut exponam, cur ne ad ea quidem, quae de coronis legitumis disputavit, accedere possim.

Supra exposueram, coronas aureas *ἀπὸ X* aut *ΓΗ δραχμῶν* usque ad annum Coroebi (Ol. 118,3 = 30⁶/₅), inde ab eo fere anno coronas aureas *κατὰ τὸν νόμον* esse datas; Athenienses igitur, quantum auri in coronas faciendas dare liceret tum lege praecepisse statueram eique coniecturae ut quasi fundamentum quoddam substruerem, similes leges in nonnullis Graecorum civitatibus valuisse demonstraram. Alia via ingressus Dittmar tum iussisse populum ut qui peregrini quaedam de re publica meruissent, coronis aureis decorarentur; qua lege anno Ol. 123,2 = 28⁶/₅ sublata novam legem promulgatam esse, ut cives, ephebi, magistratus Atheniensium coronarentur, perhibuit. Omnia

πρώτην ἐκκλησίαν usurpare formulam *εἰς τὴν ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν* assueverint, aut qui factum sit, ut eodem tempore plane diversae formae praescriptorum in usu essent. cf. Böckh, Quaestiones epigraph. — chronol. (in Jahn. annal. suppl. II (1856) p. 44—60), Hartel p. 15, Koehler M d A J V p. 270. Recte igitur Schaefer iudicavit (de scribis publicis populi senatusque Atheniensium Gryphisv. 1878 p. 25) e mutato decretorum tenore res et instituta publica esse mutata non semper colligi debere.

[1]) cf. Bürmann, Jahn. annal. suppl. X (1879) p. 346. Szanto, Untersuchungen über das attische Bürgerrecht. Hartel p. 272.

igitur decreta populi, quibus coronis *κατὰ τὸν νόμον* peregrini ornarentur, viginti illis annis esse confecta. Hoc quale sit, primum videamus. Ac concedendum est ex ipsorum lapidum testimoniis coniecturam refelli non posse, sed cave propterea veram esse credas; nam cum illi tituli plerumque mutilati sint *κατὰ τὸν νόμον* an *ἀπὸ . δραχμῶν* restituendum sit, quae supplementa vix una litterula differunt, rarissime certo diiudicari potest. Neque igitur de singulis titulis supplendis copiose disputare meum esse duxi, nam ut quisque de tota hac quaestione iudicaverit, ita singula restituet; equidem vero quid sentiam de titulorum eorum, qui huc pertinent, tempore et tenore, supra satis explicasse mihi videor. Accedit quod et archontum Ol. 122 recentiorum series adhuc minime certa atque adeo maximam partem incognita, neque unquam fere titulorum initium aut finis integra sunt. Sed non prorsus documentis caremus ad Dittmari coniecturam labefactandam. Laertius enim Diogenes in vita Zenonis [1]) decretum populi Atheniensium tradidit, quo conditor Stoicae disciplinae mortuus a populo Atheniensium corona aurea *κατὰ τὸν νόμον* et publico sepulchro donatus est; videmus igitur Arrhenide archonte (Ol. 129 fere) peregrino homini coronam *κατὰ τὸν νόμον* esse datam. Quae cum ita sint, vix dubito quin decretum SB. 1887 p. 1061,4 post illud tempus confectum sit, argumento [2]) sane non plane certo nisus, neque enim titulum, quem artificiosa magis quam vera ratione in tabula prima restituit, (SB. 1887 p. 1068,6) saeculo secundo antiquiorem [3]) esse putem. Casu vero evenisse puto, ut decretum Ol. 122.3 antiquius, quo civi Atheniensi corona aurea *κατὰ τὸν νόμον* collata esset, nondum inveniretur; nullum autem decretum post Ol. 118 confectum esse ubi daretur corona *ἀπὸ . δραχμῶν* etiam atque etiam confirmo et obtineo.

[1]) Laert. Diogen. VII 10. cf. Droysen Herm. XVI 291 sq. Wilamowitz. Antigon. Caryst. p. 340 sq. Koehler Mus. Rhenan. nov. ser. vol. 39 p. 300. Cobet Mnemosyn. nov. ser. vol. I p. 123. Krech de Crateri *ψηφισμάτων συναγωγῇ* dissert. inaugur. Berol. 1887 p. 20 not. 26.

[2]) Verba *καινῶι ἀγῶνι* quae huic titulo inseramus necesse est (cf. p. 21) ante medium fere saeculum tertium non usurpata in decretis populi videntur esse; certe omissa sunt in titulis honorum Spartoci ($28^{6}/_{5}$) Audoleontis ($28^{6}/_{5}$) Philippidis ($28^{4}/_{3}$) (cf. C II 311. 312. 314 + Eph. arch. 1890 p. 75 sq.

[3]) Enctesin pretio coercitam plane ab altero saeculo abhorrere iudicavit Dittmar. Mihi quidem, ut iam supra significavi, abstinendum esse iudicio videtur, dum plures illius aetatis tituli inventi erunt; sed si ob eam causam Dittmar decretum non alterius saeculi putat, sed eorum temporum esse, ubi coronas aureas *κατὰ τὸν νόμον* datas esse vult, certe ei demonstrandum fuit, illis temporibus enctesin Athenienses sic restrinxisse; quod ante Ol. fere 127 fecisse non videntur. cf. p. 30.

Sed haec hactenus; sequitur, ut argumenta, quibus suam verborum *κατὰ τὸν νόμον* fulciebat explicationem Dittmar, examinemus ac ponderemus.

Legibus apud Athenienses sancitum fuisse, ut qui peregrini aut cives de re publica meriti bene essent, coronis decorarentur consentaneum est neque operae pretium multis demonstrare; sed eam legem brevi post bella Persarum esse latam posteaque ut fere fit saepe mutatam, auctam, restrictam, non Poliorcetae demum aetate promulgatam esse mihi persuasi. An sescienties ante id tempus coronas dedisse neque unquam lege eum morem constituisse Athenienses putabimus? Ac multo ante annum 286 [1]) legem de coronando senatu valuisse cum ex Aeschinis Timarchea [2]) tum luculentissime apparet ex his verbis Demosthenis: [3]) *νόμος ἐστὶ, φησὶν, ἐὰν ἀξίως ἡ βουλὴ δοκῇ βουλεῦσαι δωρεᾶς διδόναι τὸν δῆμον τὴν δωρεὰν αὐτῇ κτλ.* Quod si Dittmari amplectimur interpretationem, cur ante annum Coroebi (Ol. 118,3 = $30^{6}/_{5}$) formula *κατὰ τὸν νόμον* in coronae decretis usurpata non sit, miramur. Iam vero verba *κατὰ τὸν νόμον* inde ab eodem fere tempore in decretis [4]) tribulium, paganorum, collegiorum inveniuntur; credemus igitur ut ei viros erga se bene meritos coronis ornarent, populum edixisse? At liberrimum suas res administrandi arbitrium collegiis sodaliciis-

[1]) cf. p. 217 et 234 (Stud. Lips. XIII).

[2]) Timarch. §§ 111. 112. 129. 130.

[3]) Androt. § 5 p. 594 extr.

[4]) cf. p. 25 sq.

que concessisse populum Atheniensium inter omnes constat.[1]) Contra minime mirum est, quantam pecuniam in coronas collocare liceret, Athenienses praecepisse; talibus enim legibus, ut omnium saluti consulerent luxuriaeque mederentur, Athenienses singulorum libertatem restringere non metuerunt.[2]) Accedit, quod civitas, ut tribules aut pagani aut collegia coronas pretiosiores, quam populus ipse, tribuerent, vix potuit concedere. Quae si recte disputavi, Dittmari coniecturam probare iam non possumus. Sed alia accedunt argumenta. Percenseamus, si placet titulos epheborum: C II 316 ephebi corona aurea *κατὰ τὸν νόμον* C II 338 ephebi et cosmeta simul corona aurea *κατὰ τὸν νόμον* ornantur; sed in decretis posteriorum temporum C II 465—471, 478—482 coronae aureae sine talibus additamentis ephebis conferuntur.[3]) Ac casu factum esse, ut in omnibus eis decretis ea verba omitterentur, nemo credet, praesertim cum honoribus prytanum et cosmetarum semper addita sint; neque vero magis legem de coronandis ephebis esse abrogatam conicere licet, nam C II 469 et 470 alteris decretis cosmetae ephebisque simul coronas aureas *κατὰ τὸν νόμον* donatas esse videmus; ergo ad legem de ephebis coronandis omnino pertinere non posse ea verba in propatulo est. Nec tamen in his decretis aliud atque in ceteris valuerunt; Dittmari igitur interpretationem reiciemus.

Quanto vero facilius sit reprehendere, refutare, destruere quam aedificare et restituere hoc quoque loco expertus certam explicationem me non invenisse doleo; sed ut universam meam

---

[1]) His in titulis *κατα τον νόμον* non ad leges publicas sed ad collegiorum leges pertinere nemo, opinor, contendet. De collegiorum libera condicione vid. Foucart l. l. p. 47.

[2]) Demetrii Phalerei leges supra commemoravi (p. 25); aliud sane exemplum in praesens afferre non possum. Sed gemina ac simillima eius, quam apud Athenienses valuisse statuo, lege sodaliciorum Rhodiorum ius honores conferendi fuisse restrictum iam dudum cognoverunt viri docti cf. CIG 2525 b (supra p. 24). Foucart l. c. p. 35: La loi, pour prévenir l'excès des dépenses, avait fixé une limite à la valeur des couronnes; elle ne devait pas depasser dix pièces d'or.

[3]) Titulos enumeravi supra p. 27 et 29.

opinionem mira illa titulorum ephebicorum condicione non refelli demonstrem haec sufficere posse spero: Eo tempore, quo non iam omnes adolescentes, sed principum hominumque ditissimorum, et Atheniensium et exterorum, filii epheborum ordini adscribebantur, non lege aut decreto, sed consuetudine atque usu puto institutum esse, ut sumptus in coronam ephebis dandam ab ipsis ephebis tolerarentur, qua de re nec iam erat, cur iusto solitoque coronae pondere ac pretio se continerent siquidem publicae pecuniae non erogabantur (nam parsimoniae causa illam legem esse latam vidimus) et formulam *κατὰ τὸν νόμον* omittere assuescebant, ut par erat; potuit tamen populus de pecunia publica alteram coronam eamque iusti pretii (*κατὰ τὸν νόμον*) faciendam curare ephebisque donare.[1]) Quae coniectura ea re commendari videatur, quod cosmeta primo ante Christum saeculo ab ephebis coronatus est (C II 479 – 482), quem antea publica impensa *κατὰ τὸν νόμον* populus ornare consueverat, atque etiam decreta honorum in lapidibus exaranda non populus sed ephebi ultimis utique temporibus curaverunt.[2])

Sed longius quam decebat egressi ut ad propositum redeamus, formulam *κατὰ τὸν νόμον* in eis tantum decretis, quibus aureae coronae dantur, inveniri[3]) cum omnes qui de hac re verba fecerunt, tum Dittmar neglexit. Ergo oleaginarum, hederacearum, murtearum coronarum honores Athenienses nunquam lege composuisse putabimus? Immo vero verba *κατὰ τὸν νόμον* propterea ab eis decretis absunt, quod ad coronae pretium pertinent; frondearum enim coronarum pretium nunquam in titulis esse additum iam supra diximus.

Restat ut de titulo MdAJ IV p. 196 verba faciam, quem suae opinioni praesidio esse perhibuit Dittmar p. 143 sq. Equidem verba: *καὶ εἶναι αὐτοῖς τὰς αὐτὰς τιμὰς ὅσαιπερ καὶ τοῖς*

---

[1]) C II 469 et 470.

[2]) cf. C II 481. 482. Hartel p. 35.

[3]) Titul. MdAJ IX p. 289 v. 28 supra restitui (p. 16); Athenaion VIII p. 231 *θαλλοῦ στεφάνωι κ[ατὰ τὰ πάτρια]* aut *κ[αὶ λημνίσκωι]* supplendum esse censeo.

συνδίκοις τοῖς περὶ Λάχητα, ὅσαι κατὰ τοὺς νόμους δέδονται sic interpretor: ut essent eis eidem honores, qui Lacheti quoque ceterisque syndicis essent collati, modo ne contra leges dati essent vel potius: quatenus non contra leges dati essent; fieri enim potuit ut decreti syndicorum causa facti auctor *παρανόμων* accusaretur eaque causa sub iudice esset; adiecerunt igitur pagani eam condicionem (*ὅσαι — δέδονται*), ne de illa re praeiudicare viderentur. Frustra autem Dittmar verbis *κατὰ τὸν νόμον* eam vim subesse posse negavit (p. 218), cf. Demosth. Androt. p. 606 *εἰ κατὰ τοὺς νόμους τὸ ψήφισμα εἶπεν* i. e. num non contra leges rogationem tulerit, num leges observaverit (quaeritur). Sed iam ad ultimam disputatiunculae nostrae partem liceat transire.

VI.

De coronae renuntiatione.

Coronae honos cum per se inanis ac levis videri posset, publice per praeconem renuntiatus et decreto in lapide inciso omnibus aequalibus posterisque propositus magnum virtutis praemium instrumentumque ac documentum laudis grave fiebat. Itaque Athenienses iam satis antiquis temporibus coronas publice proclamandas honorumque decreta in lapidibus incidenda curaverunt.[1] Quae cum in universum satis nota sint, ubi, quando, qua ratione coronae renuntiatae sint, accurate expositum esse nondum videtur. Hanc igitur quaestionem tractandam mihi elegi, non quod intricatas eius difficultates solvere me posse confiderem, sed quod vel percensere titulos, conferre scriptorum veterum testimonia, denique quasi materiam aggerere viamque munire non inutile esse iudicabam. Atque ut primos audiamus testes certissimos ac verissimos, iam titulorum eorum quibus corona publice renuntianda a populo Atheniensium confertur, tabulam afferam. Qua in tabula ut Koehleri auctoritatem et exemplum secutus formularum renunciationis quasi historiam

---

[1]) cf. Koehler MdAJ III p. 133.

adumbrarem, quoad fieri potuit integras eas exscripsi. Separavi autem a ceteris ea decreta, quae ad homines vere cives (*ἁπλῶς πολίτας* ut Aristotelea[1]) voce utar) i. e. aut ad Athenienses ortu (*γένει*) aut ad eos peregrinos, qui iure civitatis ab Atheniensibus donato usi in phratrias rite recepti erant,[2]) pertinere videntur; peregrinorum ortu hominum eos qui cives iam antea facti erant, cives factos, qui ipso coronae decreto civitatem quoque acceperunt cives novos appellavi, compendiis his usus: c. f. et c. n. Ei enim *δημοποίητοι*, qui civibus phratria electa adscribendos et in acta quae vocabantur *γραμματεῖα ληξιαρχικὰ* referendos se non curaverant quasi medium quendam inter cives ac peregrinos ordinem locumque obtinuisse videntur.[3]) C II 275 ad civem an ad novum civem pertineat, diiudicari non potest; mihi verisimilius visum hoc est.

Silentio autem praeterire par erat coronas frondeas; quae ut renuntiarentur nusquam in decretis populi praeceptum esse videmus. Sed iam ipsam velim tabulam inspicias.

Pauca ad hanc tabulam adnotare mihi liceat:

1. C I 59 Koehlerum (MdAJ III p. 133) recte restituisse puto, quamquam verba q. s. *ἀνειπεῖν τὸν κήρυκα* in decretis populi legere me non memini; sed ea aetate qua titulus conscriptus est, constans ac sollemnis usus dicendi nondum

---

[1]) Politica III 1 p. 1275.

[2]) Hoc in numero fuisse suspicor Thraseam Aeti f. Ptolemaei (Euergetae?) regis amicum, qui Ptolemaida tribum pagumque Phlyam elegit (C II 383); idem nescio an pater fuerit eius Ptolemaei Thraseae f. quem Polybius commemorat V 65 cf. BdCH 1890 p. 587. Sed ut omnibus certis praesidiis ad hoc genus civium secernendum destitutus esse mihi videor (ut *Χαρίδημον Φιλοξένου Ἀχαρνέα* [C II 741 e Koehleri restitutione] non fuisse *γένει πολίτην*, nisi celeberrimum illum ducem *Oreitam* fuisse ac civitate donatum meminerit, nemo divinabit) ita ceteris eos immiscere licet. Eis enim legibus quae ad coronarum honores pertinebant, aeque ac ceteros eos subiectos fuisse omnes concedent.

[3]) velut reges Bospori cf. Leptin. § 29 p. 466: *ἀφαιρεῖται καὶ Λεύκωνα τὸν ἄρχοντα Βοσπόρου καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ τὴν δωρεὰν ἣν ὑμεῖς ἔδοτ' αὐτοῖς. ἔστι γὰρ γένει δήπου ὁ Λεύκων ξένος, τῇ δὲ παρ' ὑμῶν ποιήσει πολίτης.*

A.

Coronae exteris datae:

1. C I 59 Thrasybulus c. n. Ol. 92.3	καὶ [ἀνειπεῖν τὸν κήρυκα τραγωιδῶν τῶι] ἀγῶνι ὧν ἕν[εκα αὐτὸν ὁ δῆμος ἐστεφάνωσ]ε.
2. C II 10b Euagoras rex Cypri c. n. Ol. 96.3	ὁ δὲ κ[ῆρυξ ἀναγορευσάτω ἐν τῶι θεάτρω]ι ὅτ[α]ν ο[ἱ] τρα[γωιδοὶ ὦσι ὅτι ὁ δῆμος ὁ Ἀθη]ναίων Εὐαγόρ[αν στεφανοῖ ἀρετῆς ἕνεκεν].
3. Syll. 101 Spartocus et Pairisades c. f. Ol. 108.2	στεφανοῦν . . . . . . Παναθηναίοις τοῖς μεγάλοις . . . . καὶ ἀναγορεύειν ὅτι στεφανοῖ ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων Σπάρτοκον καὶ Παιρισάδην . . . . . .
4. C II 251 Asclepiades . . . . Ol. 118.2—4	ἀνειπεῖν τὸν στέφανον [Διονυσίων τῶν] μεγάλων τραγωιδῶν τῶι ἀγῶνι.
5. C II 254 Populus quidam . . . . Ol. 119.2	ἀνειπ[ε]ῖν [τὸν στέφανον Παναθηναίων] τῶν μεγάλων τῶι γυ[μνικῶι ἀγῶνι.]
6. S B 1887 p. 1062 II 5 amicus Poliorcetae c. f. Ol. 119.2	[ἀνειπ]εῖ[ν] τὸ[ν στέφανον Παναθηναίον τῶι] [γ]υμνι[κῶι ἀγῶνι].
7. C II 275 . . Ol. 119 fere	. . . .
8. C II 300 Herodorus c. n. Ol. 121.2	[ἀνειπε]ῖν τὸν στέφανον Διονυ[σίων τῶν] [ἐν ἄσ]τει τραγω[ι]δῶν τῶι ἀγῶν[ι.]
9. C II 311 Spartocus rex c. f. Ol. 123.3	ἀνειπεῖν τὸν στέ[φανον Διονυσίων] τῶν μεγάλων τραγωι[δοῖς ἐν τῶι θεάτρωι].

10. C II 312 Audoleon rex c. n. Ol. 123.3	ἀνειπεῖν τὸν στ[έ]φανον Δ[ιο]νυσίων τῶν μεγάλων [τρ]αγωιδ[ῶ]ν τῶι ἀγῶν[ι].
11. S B 1887 p. 1061.4 . . . . post Ol. 125.	[ἀνειπεῖν τὸν στέφανον Δι]ονυσίοις τραγωι[δῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι].
12. D A 1889 p. 95 populus Lamiensium. sub fin. saec. III.	[ἀνειπεῖν τὸν στέφα]νον Διονυσί[ων τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς] κτλ.
13. C II 402 novus quidam civis circ. fin. saec. III.	ανε[ιπεῖν τὸν στέφανον Διονυσίων τε] τῶν ἐν ἄστε[ι] και[νοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐ]λευσινί[ω]ν τοῖς [γυμνικοῖς ἀγῶσι].
14. M V p. $32^8/_9$. Alexander Ptolemaei regis amicus circ. fin. saec. III.	[ἀνειπεῖν τὸν στέφα]νον Διονυσίων τε τῶν ἐν ἄστει τραγωιδῶν τῶι και[νῶι ἀγῶνι καὶ] [Παναθηναίων καὶ Ἐ]λευσινίων καὶ Πτολεμ[αί]ων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν.
15. C II 464 Ptolomaeus Soter circa fin. saec. II.	[ἀνειπεῖν] τὸν στέφαν[ον τοῦτον Διονυσίων τε τῶν ἐν ἄστει τρα]γωιδῶν τῶι καινῶ[ι ἀγῶνι καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευ]σινίων καὶ Πτολεμαίων τοῖς [γυμνικοῖς ἀγῶσιν].
16. C II 438b peregrinus quidam 159—133 a. Chr.	ἀ[νειπεῖν αὐτῶι τὸν στέφανον τοῦτον καὶ τὴν εἰκόνα] Διονυσίων τε [τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναίων] καὶ Ἐλευσι[νίων κτλ.].

B.

Coronae civibus Atheniensibus collatae.

1.	C II 809 vs. 170 sq. coronae trierarchis promissae Ol. 113.4	καὶ ἀναγορευσά[τω ὁ κῆ]ρυξ τῆς βουλῆς Θαρ[γηλίων] τῶι ἀγῶνι τοὺς στε[φάνους.]
2.	C II 314 + Eph. arch. 1890 p. 75 sq. Philippides poeta et agonotheta honoratur. Ol. 124.1	ἀνειπεῖν τὸν στέφανον Διονυσίων τῶν μεγάλων τραγωιδῶν τῶι ἀγῶνι.
3.	D A 1889 p. 58 Heracleitos agonotheta. Ol. fere 127	ἀναγορεῖσα[ι τοῦτον τὸν στέ]φανον ἐν τῶι γυμνικῶι ἀγῶνι τ[ῶι Ἐλευσινίων] [κατὰ τὸ]ν νόμον.
4.	C II 351 collegium decem praetorum } non multo post Ol. 127.	[ἀ]νειπεῖν τὸν [στέπανον Διονυσίων τραγωιδῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι. τῆς δὲ ἀν]αγορεύσεως κτλ.
5.	C II 331 Phaedrus et praetoris et agonothetae munere functus	ἀναγορεῦσαι τὸν στέφανον Διονυσίων τῶν μεγάλων τραγωιδῶν τῶι ἀγῶνι τῶι καινῶι καὶ Παναθηναίων τῶν μεγάλων τῶι γυμνικῶι ἀγῶνι.
6.	C II 341 ephebi honorantur. c. fin. saec. III.	ἀπειπεῖν τὸ[ν στέφανον Διονυσίων τε τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Ἐλευσ]ινί[ω]ν καὶ Παναθηναίων [καὶ Πτολεμαίων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσι].
7.	C II 383 Thraseas c. fin. saec. III.	[ἀν]ειπεῖν τὸν στέφ[ανον Διονυσίων τε τῶν] ἐν ἄστει κα[ινοῖς τραγωιδοῖς καὶ etc. ut modo scripsi.

8.	C II 444 Nicogenes agonotheta circ. Ol. 155	ἀναγορεῦσ[αι δὲ τὸν] στέφανον Διονυσίων τε τῶν ἐν ἄστει καινοῖ[ς τ]ρ[αγωιδ]ο[ῖ]ς καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων καὶ Πτολε[μαίων το]ῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν.
9.	C II 445 Theo . . . agonotheta Ol. fere 157	[ἀναγορεῦσαι δὲ τὸν στέφανον Διονυσίων τῶν ἐν ἄστει τραγω]ιδῶν τῶι καινῶι ἀ[γῶνι καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων καὶ Πτολεμαίων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶ]σιν.
10.	C II 446 Miltiades agonotheta eodem fere tempore.	ἀναγορεῦσαι δὲ τὸν στέφανον Διονυσίων τε τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων καὶ Πτολεμαίων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν.
11.	C II 451 Byttos agonotheta eodem fere tempore.	[ἀναγορεῦσα]ι δὲ τὸν στέφανο[ν Διονυσίων τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς κα]ὶ Παναθηναίων καὶ Ἐ[λ]ε[υσινίων καὶ Πτολεμαίων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν].

Qui restant tituli omnes ad epheborum et cosmetarum honores pertinent (plerique saeculo primo, C II 465 et 466 fortasse paullo ante exarati)

12.	C II 465 ephebi et cosmeta honorantur	καὶ ἀνειπεῖν τὸν στέ[φα]νον τοῦτον Διονυσίων τε τῶν ἐν ἄ[σ]τει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναίω[ν κ]αὶ Ελευσινίων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶ[σι]ν (bis).

13. C II 466 ephebi	[καὶ ἀνειπεῖν τὸν στέφανο]ν Διονυσίων τε τῶ[ν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων καὶ Πτολεμαίων τοῖς γυμνι]κοῖς ἀγῶσιν.
14. C II 467 ephebi et cosmeta	ἀνειπεῖ[ν τ]ὸν στέφανον τ[οῦτον Διονυ]σίω[ν τε] τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναί[ω]ν καὶ Ἐλευσινίων [καὶ Πτολεμαίων τ]οῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν (bis).
15. C II 468 ephebi	eadem formula.
16. C II 469 ephebi et cosmeta.	bis: [καὶ ἀνειπεῖν τὸν στέφανον τοῦτον] Διονυσίων τῶ[ν ἐ]ν ἄσ[τει τραγωιδῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων τοῖ]ς γυμνικοῖς ἀγῶσι[ν].
17. C II 470 v. 26 ephebi coronantur.	[κα]ὶ ἀνειπεῖν τὸν στέφανον τοῦτον Διονυσίων τε τῶν ἐν [ἄστ]ει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσι[νί]ων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν.
v. 48 cosmeta	καὶ ἀπεινεῖν τὸν στέφανον τοῦ[τον Διονυσίων τ]ε τῶν ἐν ἄστει τραγωιδῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν.
18. C II 471 ephebi	bis ut 470 v. 26.
19. C II 478 ephebi	ut 470 v. 26.

20. C II 479 ephebi	[καὶ] ἀνειπεῖν τὸν στ[έφανον Διονυσίων τραγωιδῶν τῶι κα]ινῶι ἀγῶνι καὶ Παναθηνα[ίων] καὶ Ἐλευσινίων τ[οῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν].
21. C II 480 ephebi	[ἀνειπεῖν] τὸν στέ[φανον Διονυσίων τῶν μεγάλων τῶι καινῶι ἀγῶνι καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων τοῖς γ]υμνικ[οῖς ἀγῶσιν].
22. C II 481	ut 480.
23. C II 482.	ἀνειπε[ῖν τὸν στέφανον Διονυσίων τῶν μεγάλων τῶι καινῶι ἀγῶνι κ]αὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων ἐν τ[οῖς γυμνι]κοῖς ἀγῶσιν.

---

excultus et omnibus partibus expressus erat. Ipse ut illam vitarem difficultatem, nihil inveni nisi haec: *καὶ ἀνειπέτω ὁ κῆρυχς τραγωιδῶν ἐν τῶι ἀγῶνι*; quae pro veris ne venditem, praecipue ea re impedior, quod praepositionis *ἐν* in hac formula usus rarissimus est.

2. ad A 3: Spartocum et Pairisadem Leuconis filios cives esse factos tradit Demosthenes Leptin. 29 p. 466.

3. ad B 3: Decreti honorum Heracliti D A 89 p. 58 vs. 13 sq. sic fere puto restituendos esse:

καὶ ἀναγορεῦσα
14 [*ι τοῦτον τὸν στέ*]*φανον ἐν τῶι ἀγῶνι τ*[*ῶ*]
[*ι Ἐλευσινίων κατὰ τὸ*]*ν νόμον ἐπιμεληθῆναι δὲ*
[*τῆς ποήσεως τοῦ στεφάνου τὸν ἐπὶ*] *τῆς διοικήσε*
[*ως κτλ.*]

v. 15 *τὸ*[*ν ἀγωνοθέτην . . . .*] coniecerat editor, sed *ἀναγορεῦσαι* profecto praeconis est, non agonothetae, neque nomen certaminis omitti potuit. Levissimo igitur errore *O* pro *ᴖ* i. e. *ω* aut lapicidam scripsisse aut editorem legisse ratus Eleusiniorum nomen quod ad spatia explenda aptissimum esse videbatur restitui nec cur hoc in titulo (solis) [1]) Eleusiniis corona renuntiari iussa sit causa cogitari non potest; scilicet quod non multo post Panathenaea (magna), de quibus Heraclitus optime erat meritus, decretum factum est. Simili de causa Ptolemaeorum certamen in titulo C II 465 omissum esse Koehler vidit. Ac proclivis est coniectura, si modo propter Panathenaeorum magnorum agonothesiam laudatum esse Heraclitum conicere licet,

[1]) Antiquissimis temporibus, ut in certamine Dionysiorum aut Panathenaeorum corona renuntiaretur, praecipi solebat; coronae et Dionysiis et Panathenaeis magnis renuntiatae exemplum primum in decreto Phaedri (B 5 = C II 331) invenitur; sed brevi post mos coronas saepius renuntiandi adeo inveteravit, ut primo Dionysia Panathenaea Eleusinia, tum Dionysia Panathenaea Eleusinia Ptolemaea coniungi solerent; itaque decretis epheborum et agonothetarum verba: *ἀνειπεῖν δὲ τὸν στέφανον Διονυσίων τῶν ἐν ἄστει καινοῖς τραγωιδοῖς καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων καὶ Πτολεμαίων τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν* ab altera parte saeculi tertii addita invenimus.

hoc decretum Ol. fere 127,3 aut 128,3 esse factum; certe tertio Olympiadis anno adscribendum est.

κατὰ τὸν νόμον ad legem de corona Eleusiniis renuntianda pertinere puto, qua accuratius quo loco aut quo tempore honores promulgare liceret, statutum esse videtur.

vs. 15—16 *ἐπιμεληθῆναι δὲ*[*τῆς ποιήσεως τόν ἀντιγραφέα τὸ*]*ν τῆς διοικήσε*[*ως*] scripsit editor; quae ut confirmaret, p. 60 haec pronuntiavit: *ἐπειδὴ ἐν τῷ τέλει τοῦ στίχου τούτου διεσώθη τὸ „τῆς", ἀποκλείεται νὰ ὑποθέσωμεν, ὅτι ὁ λόγος περὶ τοῦ ἢ τῶν ἐπὶ τῇ διοικήσει*; de littera *ν* tacet. At quid est *τῆς ποιήσεως*, aut quî factum est, ut verba q. s. *τοῦ στεφάνου* omitterentur? Iam a Polluce (VIII 113) is qui pecunias publicas dispensabat *ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως* appellatur; eademque nominis forma in decreto Zenonis, quod supra saepius commemoravi, nobis occurrit. (cf. Droysen Herm. XVI p. 292 et 295.) Librorum igitur auctoritatem hoc lapide confirmatam et litterulam *ν* (ante *τῆς*) errore editoris, si non typothetae, litteris servatis esse additam mihi quidem persuasum est. [1]) Fieri enim potuisse, ut eiusdem magistratus duo nomina usurparentur, eo fidentius statuo, quod Böckhii aliorumque [2]) auctoritate nitor.

4. ad B 4: C II 351 v. 8 sq. sic fere restituam:

ἐπαινέσα]*ι τοὺς στρατηγ*[*οὺς τοὺς — — — — —*]
[*. . . . . ἄ*]*ρξαντας ἀρετ*[*ῆς ἕνεκα καὶ εὐνοίας τῆς περὶ τὸν δῆμον τὸν*]
[*Ἀθηνα*]*ίων καὶ στεφα*[*νῶσαι αὐτοὺς χρυσῶι στεφάνωι κατὰ τὸν νόμο*]
[*ν καὶ ἀ*]*νειπεῖν τὸν* [*στέφανον Διονυσίων τραγωι δῶν τῶι και νῶι ἀγ*]
[*ῶνι τῆς δ' ἀν*]*αγορεύ*[*σεως κτλ.*

Nomen archontis ad primum versum supplendum non videtur sufficere, nisi cognomine aliquo addito; desiderantur enim 20 fere litterae.

5. ad A 16. C II 438 b. *ἀ*[*νειπεῖν τὸν στέφανον καὶ τὴν τῆς εἰκόνος ἀνάθεσιν*] dubitanter Koehler scripsit; verba restitui

[1]) Hanc coniecturam confirmari gaudeo; nam in Lollingii exemplari illud *ν* abesse, qua est comitate, Koehler me docuit.

[2]) de oecon. civ. Att.[3] I p. 207 sq. cf. orat. Att. ed. Baiter-Sauppe II p. 262.

vix possunt, cum singuli versus non eiusdem longitudinis fuerint, sed statuam quoque renuntiatam esse apparet.

6. Consulto omisi C II 148, quod decretum Buermann (Jahn. annal. philol-paedag. suppl. X nov. ser. p. 356 sq.) sic restituebat:

[καὶ ἀνειπεῖν Διονυσίων τῶν με] γάλ[ων] τοῖς τ[ραγωιδοῖς τὸν στέφανον εἶναι δὲ κτλ.]

Sagaciter haec esse excogitata concedendum est; sed et verba minus apte collocata sunt (*τὸν στέφανον* enim post *ἀνειπεῖν* ponendum fuit) et articulus *τοῖς* e constanti usu titulorum Atticorum omittendus erat; vid. A 9. 10 B 6—13. 16 tabulae nostrae et C II 736. Nec debuit conferre Buermann C II 106; *τραγωιδοῖς* enim et *τραγωιδοῖς καινοῖς* in omnibus illis titulis idem fere esse ac *τραγωιδῶν τῶι* ⟨*καινῶι*⟩ *ἀγῶνι*, dativum dico seu potius locativum temporis, apparet.[1] Plane autem aliud est: *ὅταν οἱ τραγωιδοὶ ὦσιν*, ubi articulo non magis offendimur, quam in verbis: *ἐπειδὰν τὰ Διονύσια ποιῆι ὁ δῆμος* (Eph. arch. 1890 p. 87. C II 589 v. 20) cum *Διονυσίοις* aut *Διονυσίων τῶι ἀγῶνι* semper sine articulo positum inveniamus. Neglexerunt vero illas leges dicendi antiquitus traditas oratores Attici, quorum sermo ad orationem cottidianam propius accedit. cf. Aeschin. Ctes. §§ 45 et 176 (p. 434. 566).[2]

7. Addere poteram fragmentum mutilum C II 411 quo coronam in theatro renuntiandam esse decretam ex verbis: *[τῆς δὲ ποήσε]ως τοῦ στεφ[άνου καὶ τῆς ἀναγορεύσεως ἐπιμεληθῆναι] τοὺς στρατη[γοὺς]* apparet; nam nunquam haec adduntur,

1) Spectatoribus profecto, non actoribus (puerilem cogitationem!) honores renuntiantur. Ceterum C II 311 restituendum est *τραγωιδοῖς ἐν τῶι θεάτρωι* ut fecerunt editores Anglici Newton-Hicks I 15; C II 719 *στέφανοι χρυσοῖ οἱ ἀ]ναρηθέντες [Διονυσίοις ἐν τῶι θεάτρωι]* aut *[Διονυσίοις τοῖς μεγάλοις]* suppleri potest; (sed in decreto Prienensi *Διονυσίοις τῶι ἀγῶνι τῶν τραγωιδῶν* invenitur Iourn. of Hell. Stud. IV p. 237).

2) Vides cur assentiri non possim Hamakero qui (Mnemos vol. VIII p. 3) § 45 verba *τοῖς τραγωιδοῖς* spuria esse iudicavit, quia articulus falso adiectus esset.

nisi antea coronam in certamine renuntiari iussit populus; id quod neglexit Wilhelm, Herm. 23 p. 459.

Sed iam satis multa verba de singulis titulis fecimus; nunc quid de more coronas promulgandi ex eis cognoscamus, quam brevissime enarrabo.

Peregrinis eis, qui non antea iam cives facti erant, una cum corona in ludis promulganda semper fere civitas data est cf. C I 59. II 106. (275). 300. 312. 402. Asclepiadem Byzantium (C II 251) *δημοποίητον* iam fuisse verisimile videtur; sine civitate maximus ille honos Alexandro Ptolemaei regis amico et peregrino cuidam, regis Attali (secundi aut tertii) asseclae, collatus est (M V p. $32^{8}/_{9}$ C II 438 b). Praeter Thrasybulum (A 1 = C I 59) omnes illi peregrini aut reges sunt aut regum sodales et amici. Praeterea saepius coronae populis exteris datae in theatro renuntiatae sunt (cf. A 5. 12 [11?]) sed non semper hoc factum esse docent tituli C II 117 b. 164. 233. Cives autem tam sollemni promulgatione nunquam fere videntur ornati esse praeter agonothetas, praetores, ephebos cosmetas (et trierarchas); nam ne prorsus casu factum esse putes, ut non invenirentur decreta aliorum civium causa facta, e tot coronis prytanibus tributis in certamine nullam esse proclamatam memineris velim (cf. C II 390. 408. 417. 425. 426. 431. 459. 472).

Ceteras autem coronas aureas coronasque frondeas omnes non esse renuntiatas non credemus; (nimis enim viles illi honores essent.) Ergo legibus sancitum esse, ubi et quando promulgandae essent, in universum sumemus. Quae coniectura optime eis locis oratorum, ad quos nunc transimus, confirmatur. Is cui Isocrates orationem Callimacheam scripsit, se a populo, quod urbem a Lysandro obsessam frumento sublevasset, coronatum et in foro apud statuas Eponymorum ut civem bonum magnorumque commodorum auctorem proclamatum esse tradit: *ἀνθ' ὧν ἐψηφίσασθε ἡμᾶς στεφανῶσαι καὶ πρόσθε τῶν ἐπωνύμων ἀνειπεῖν ὡς μεγάλων ἀγαθῶν αἰτίους ὄντας* (§ 61), quae verba ipsa decreti esse cave credas, nam aut *χρυσῶι* aut *θαλλοῦ στεφάνωι*

4

post *στεφανῶσαι* in populi decretis additum semper invenies.[1]) Porro si quando *τὸν δεῖνα στεφανῶσαι* aliqua Atheniensium societas (ut tribules Pandionidis C II 553) statuit, subaudienda est corona oleagina (neminem hoc negaturum esse puto); atqui coronam oleaginam renuntiari populus iussisse non videtur. Ergo aut coronam oleaginam sine renuntiatione aut auream esse datam apparet. Coronam autem auream sibi esse donatam vix omisisset gloriari qui orationem habuit. Igitur populum nihil aliud decrevisse, nisi ut adversarius Callimachi corona oleagina ornaretur, certo colligemus. Lege autem illo tempore sancitum fuit, ut coronae a populo donatae sicut milites conscripti,[2]) leges *ἄκυροι*,[3]) alia quae comperire omnium interesset, in foro apud statuas Eponymorum renuntiarentur; licuit igitur oratori, ipsis decreti verbis ea, quae ex illo decreto facta erant, adicere.

---

[1]) C II 373b vs. 17sq. non solum corona incerta offendimur, sed etiam sacerdotis, qui coronam accepit, laudem desideramus; quod cum sola laude (non corona) ornatos esse propter s a c r a r i t e f a c t a curatores mysteriorum Eleusiniorum tituli C II 315 et 376 doceant, et in titulo C II 274 quoque magistratus quidam propter s a c r a laudati, non coronati esse videantur, huius decreti vs. 17 sq. sic fere supplendos esse

τῶι θεῶι καὶ τὴν τράπεζαν ἐκό[σμησεν καλῶς καὶ φιλοτί]
μως καὶ τὴν παννυχίδα ἐποι[ήσατο ἀξίως τοῦ θεοῦ ἐπαι]
ν(έ)σαι τὸν ἱερέα τοῦ Ἀσκληπι[οῦ τὸν δεῖνα τοῦ δεῖνος — — Ξυ]
π[ε]τ[α]ίονα εὐσεβείας ἕνεκα κτλ.

conicio, errore autem lapicidae *ἐπαι | νῶσαι* exaratum esse (Alia exempla solius laudis sunt C II 15b. 52c. 329 v. 5. 465 v. 20. MdAJ IV p. 328) (sed sane C II 325 Jovis sacerdos propter sacra corona ornatur). Quae coniectura si cui vehementior et audacior videtur, ei certe concedendum est, hoc decretum neglegentissime confectum esse; nam ne forte hoc supplemento:
τὴν παννυχίδα ἐποιή[σατο, ἐπαινέσαι καὶ στεφα]νῶσαι κτλ. omnes difficultates infringi ac solvi posse putet, et adverbium post *ἐποιήσατο* necessario addendum et nomen sacerdotis honorati post *ἐπαινέσαι* collocandum esse cogitet.

[2]) cf. Aristoph. Pac. 1183 cum schol., et de Eponymis Liban. ed. Förster Herm. IX p. 60. Suid. s. v. *ἐπώνυμοι*. Suidas s. v. *ἄρχων*. Förster Herm. IX p. 381.

[3]) cf. Aeschin. Ctesiph. 39. Demosthen. Timocrat. §§ 26 et 28. Förster l. l. Wachsmut, de situ urbis Athen. II p. 388 sq.

Postea autem eam legem abrogatam esse apparet ex tritissimo illo Aeschinis loco, quem nunc examinemus Ctesiphont. § 32 *ὁ γὰρ νόμος διαῤῥήδην κελεύει, ἐὰν μέν τινα στεφανοῖ ἡ βουλὴ, ἐν τῷ βουλευτηρίῳ ἀνακηρύττεσθαι, ἐὰν δ' ὁ δῆμος, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ.*

Illo igitur tempore coronae frondeae et aureae (nisi populus aliud iusserat) non in foro, sed in comitio, quod vocabatur Pnyx, renuntiatae sunt.[1]) Sed accuratius eum locum examinare quaestionemque a viris doctissimis plerisque iactatam denuo tangere cogimur.[2]) Nam non hoc solum, quod modo statuimus, Aeschines contendit, sed omnino coronas aureas a populo datas in theatro renuntiari leges vetare. At eas coronas aureas, quas regibus regumque asseclis et populis Athenienses dederunt, iam inde a primo tempore, quoad e titulis iudicare licet, in theatro esse proclamatas vidimus. Dixerit quispiam, legem quam interposuit Aeschines, ad civium honores pertinere (nam sane decretorum eorum, quae supra sub B enumeravimus, saeculo III antiquius est solum C II 809 (No. 1), cuius rationem aliam esse, quam ceterorum, apparet). At cur hoc non modo tacuit Aeschines, sed data opera celavit? Examinemus, si placet, paullo accuratius eius argumentationem. Speciosius quam verius fieri non posse, ut quae illa lege prohiberentur, permitterentur lege Dionysiaca, demonstrare conatus § 45 sic fere argumentari pergit: Quod cum lege praecipiatur, ut quos senatus coronaverit, in senaculo, quos populus, in comitio renuntientur, et interdicatur, ne quos pagani aut tribules coronaverint in certamine tragoedorum renuntientur neve quem alius quisquam — quis praeter senatum, populum, paganos, tribules significari potest, nisi civitates exterae? Ac re vera has signi-

---

[1]) Quicquid de tota causa iudicamus, de hac quidem re dubitar nequit.

[2]) Litem Ctesiphonteam omnibus esse notam sumere licet; virorum doctorum scripta enumeraverunt Fox *die Kranzrede des Demosthenes* et Reisch *Beweisführung des Aeschines in der Rede gegen Ctesiphon. 2 Progr. Nürnberg.* 1884 et 1885.

ficari vel inde apparet, quod coronam auream in theatro renuntiatam Minervae sacram esse lex iubet. Atqui populum Atheniensium tanta illiberalitate (*ἀνελευθερία*), ut corona a se data, quem honoravit, ipse privet, uti nemo dicet. Ergo coronae populi in theatro renuntiari non debent, sed exterae (*ξενικοὶ στέφανοι*) etc.

Ne verbo quidem excipi eas coronas, quas exteris populus concessit, apparet; immo vero illius „illiberalitatis" revera arguendus est populus vel propter exterorum honores;[1]) sic igitur argumentari non potuit Aeschines, si ad cives solos illa lex pertinuisset. Quid, quod nescio an adhuc demonstrari possit, saeculo quarto coronas civibus datas et in ludis esse proclamatas et Minervae dedicatas?

Nam sic fere supplendum esse putem titulum C II 728

v. 9: [*στέφανος χρυσοῦς ὁ ἀνακηρυχ*]*θεὶς*
Διο[*ν*]*υσ*[*ίων τραγωιδοῖς ἐν τῶι θεάτρωι*]
[*ὧι ἐσ*]*τεφάνωσεν ὁ δῆμ*[*ος ὁ Ἀθηναίων τοὺς*]
[*ἱππάρχους τοὺς ἐπὶ*] *Ἀρχίππου ἄρχον*[*τος κτλ.*]

v. 18 [*στ*]*έφανος χρυσοῦς ὁ* [*ἀνακηρυχθεὶς*]
[*Παναθηναίων τῶν με*]*γάλων τ*[*ῶ*]*ι γυμνικῶι*
[*ἀγῶνι, ὧι ἐστεφάνωσεν ὁ δῆμος*] *ὁ Ἀθηνα*[*ί*]*ων*
Κόνων[*α Τιμοθέου Ἀναφλύστιον, στα*]*θμὸν Η*

(Haec corona Panathenaeis magnis anni Ol. 115,3 = 318 renuntiata est.)

Quamvis incerta ea supplementa sint, tamen hoc constare[2]) videtur magistratum aliquem anno Archippi munere fungentem

1) Coronas exterorum in ludis renuntiatas Minervae (aeque ac civium coronas) dedicandas fuisse apparet ex notissimo illo decreto, quo Leuconis filios populus honoribus ac privilegiis ornavit (Syll. 101 vs. 33 sq.).

2) Ne v. 10 *ἐπὶ Ἀρχίππου ἄρχοντος* ad *ἐστεφάνωσε* referendum nomenque aliquod proprium restituendum esse concedam, duabus causis impedior: quod verba *ἐπὶ-ἄρχοντος* non post illud nomen, sed ante collocanda fuerunt, ac praecipue quod in vs. 4—6 eiusdem tituli *τοὺ*]*ς ἐπὶ Ἀπολλο*-[*δώρου ἄρχοντος*] supplendum esse Koehler vidit, eademque ratione C II 732 vs. 3 = 731 v. 7, (sed omisso verbo *ἐστεφάνωσε*) *ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων τοὺς ἱππάρχους τοὺς ἐπὶ Ἀναξικράτους ἄρχοντος* dictum est. Accedit, quod nomen archontis supervacaneum esset.

a populo Atheniensium esse coronatum eamque coronam et ludis Dionysiacis renuntiatam et in arce dedicatam esse. Nec scio, cur Cononis nomen restituere dubitemus.[1]) Atque etiam praetorum honores saeculo quarto ac iam quinto in certaminibus esse promulgatos, quamquam decreta non exstant,[2]) propterea puto, quod Andocidis verba, quae supra attuli,[3]) mihi quidem minus apte dicta videntur, si praetorum coronae eadem ratione ac ceterae renuntiabantur. Epheborum autem coronae ante Ol. fere 130 in theatro renuntiatae esse non videntur.[4])

Sed ut ad rem propositam redeamus, satis iam confirmasse mihi videor, Aeschinis argumentationem cum titulorum testimoniis nullo pacto conciliari posse.

Ergo legem illam ab Aeschine mutilatam omissisque gravissimis verbis (*ἐὰν μὴ ὁ δῆμος ψηφίσηται*) plane corruptam esse credemus? Haec est Kirchhoffii opinio[5]) cui tamen accedere nequeo. Nam vix videtur fieri potuisse, ut ipse Aeschines tam inficeta fraude victurum se esse speraret aut ut adversarii eum perorare paterentur nec statim interpellarent et corrigerent. Profecto non impudens, sed stultus dicendus fuit Aeschines; ac stultior Demosthenes, qui perspicuis verbis malum dolum

1) Legatos ad Nicanorem illo fere tempore esse missos Cononem, Phocionem, Clearchum Nausiclis f. narrat Diodorus; quos legatos e numero praetorum esse electos putem (XVIII 64.' Certe Phocio tum praeturam administrabat. cf. XVIII 65 extr.).

2) Omnino autem decretorum saec. V et IV, quae servata sunt, numerus longe plurimus ad peregrinorum honores pertinet, id quod recte statuit Dittmar (p. 197 et 234).

3) p. 6 (de reditu § 18).

4) Certe omissa est ea condicio, ut in ludis corona proclamaretur C II 316 et 338, primoque addita titulo C II 341, quem bello Chremonideo recentiorem esse Koehler coniecit. Coronis autem aureis ephebos ornare non multo ante saeculum III populus Atheniensium assuevit; nam in antiquissimo titulo (ann. 334/3) ephebi et sophronista Cecropidis tribus a senatu et ab Eleusiniis coronis oleaginis, a contribulibus et a compaganis sophronistae coronis aureis ornantur. Anno 303 Pandionidis sophronista a contribulibus [*θαλλ*]*οῦ στεφάνωι* decoratur, anno 305/4 ephebi a populo sola laude. cf. D A 1889 p. 11. B d C H XII p. 248. XIII p. 257. M d A J IV 328.

5) *Abhandl. d. Berl. Acad.* 1875 p. 63.

detegere atque ostendere noluit, sed sophisticis ratiunculis ac conviciorum molibus adversarium opprimere conatus mira quadam celeritate ne dicam levitate hanc tantam rem transsiluit magis quam absolvit. Quid? si adversarium in tam manifesto mendacio deprehendisset, num ad nauseam[1]) usque iudices de hac re admonere omisisset? Accedit, quod aliquot annis ante Demomelem et Hyperidem, quia eandem, quam Ctesiphon, rogationem tulerant, a Dionda de lege laesa postulatos esse Demosthenes ipse narravit;[2]) qua re peccatum aliquid eis rogationibus esse paene evincitur.

Quae cum ita sint, sic fere de hac re statuendum esse puto: Initio saeculi quarti Athenienses legem *τὸν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανούμενον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀνακηρύττειν, τὸν δ' ὑπὸ τῆς βουλῆς ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, ἄλλοθι δὲ μηδαμοῦ* sanxerunt eo consilio, ut coronarum renuntiationes a foro in comitium (aut senaculum) transferrentur; ius autem aliis quoque locis coronas renuntiandi, quamquam populo adimere noluerunt, tamen non exceperunt et reservarunt, sed, ut erant Athenienses formularum saepe minus curiosi, cavere illud omiserunt, qui illam legem rogarunt. Quo factum est, ut, etsi non sententia ac voluntate, tamen verbis litterisque eius legis coronae a populo datae in certaminibus renuntiari vetarentur; eaque lege ad causas suas confirmandas Aeschini (et Diondae) uti liceret. Demosthenes autem, cum legales quaestiones maximam partem Ctesiphonti tractandas commisisset, legem Dionysiacam, qua coronarum in theatro promulgationes ne iniussu populi fierent prohibebatur, afferre

[1]) Praescriptionem, antiquatam esse Aeschinis actionem ac reiciendam, septuagies bis Demosthenes adhibuit (*τὸ παραγραφικὸν*), id quod iam veteres critici notarunt. cf. *Schaefer, Demosth.* III² p. 290 not. 1.

[2]) De coron. § 222—224 (p. 302—304).

Iam antea Aristonicus idem rogaverat; quae rogatio nullo resistente perlata esse videtur

(§§ 83. 223); manifesto enim erravit, qui vitas X oratorum conscripsit, p. 848 c. (vita Demosthen. sub fin.: *πρῶτος δ' ἔγραψε στεφανωθῆναι αὐτὸν χρυσῶι στεφάνωι Ἀριστόνικος Νικοκράτους Ἀναγυράσιος, ὑπωμόσατο δὲ Διώνδας.*)

satis habuit; nam sane, quod aliis, sibi quoque concedere posse populum conveniens videbatur. Hac explicatione maximas difficultates solvi posse spero; vereor autem ne quaestio de causae Ctesiphonteae fundamento ad liquidum tota perduci omnino non possit. Sed ut iam finem disserendi faciam, quid de more coronas renuntiandi demonstravisse mihi videar, paucis complectar: Coronae frondeae a populo datae primo in foro apud statuas Eponymorum, postea in comitio renuntiabantur; atque ibidem etiam coronae aureae, nisi populus alibi iusserat; solebat autem populus primo ludis Dionysiacis aut Panathenaicis, tum et Dionysiacis et Panathenaicis et Eleusiniis (et Ptolemaeis) honores regum regumque amicorum et nationum exterarum, praetorum et agonothetarum atque inde ab altera parte saeculi tertii etiam cosmetarum et epheborum proclamare.

Addendum.

Iam prelo subiciebam meas pagellas, cum decretum populi Atheniensium nuperrime editum mihi innotuit (D A 91 p. 45), quo *ἐπὶ Ἡλιοδώρου ἄρχοντος* = Ol. fere 140 *Εὐμαρίδαν Πανκλέους Κυδωνιάτην*, Cretensem hominem, *χρυσῶι στεφάνωι κατὰ τὸν νόμον* esse coronatum videmus; neque igitur Dittmari coniectura, quam supra labefactabam, omnino iam defendi potest, decreta, quibus exteri coronis legitumis ornantur, annis Ol. 118,3 — 123,3 adscribenda esse.

Tabula argumentorum.

Index librorum, quos potissimum adhibui.

1. C = Corpus Inscriptionum Atticarum. vol. I et II (ubicunque aliud non significavi voluminis alterius pars prior subaudienda est).
2. CIG = Corpus Inscriptionum Graecarum.
3. BdCH = Bulletin de Correspondance Hellénique.
4. MdAJ (seu M) = Mitteilungen des deutschen archaeologischen Instituts.
5. DA = *Δελτίον ἀρχαιολογικόν.*
6. Eph. arch. = *Ἐφημερὶς ἀρχαιολογική.*
7. Athen. = *Ἀθήναιον.*
8. Herm. = Hermes.
9. SB = Sitzungsberichte (vel Monatsberichte) der Berliner Akademie.
10. Syll. = Sylloge Inscriptionum Graecarum compos. Dittenberger.
11. Lebas = Lebas-Waddington-Foucart, Voyage archéologique.
12. Newton = Ancient Greek Inscriptions of the British Museum ed. Newton et Hicks.
13. Reinach = Reinach, Traité d'Épigraphie grecque.
14. Foucart = Foucart, Des associations religieuses chez les Grecs.
15. Hartel = v. Hartel, Studien über attisches Staatsrecht und Urkundenwesen.

Sententiae controversae.

1. Senecae quae feruntur fabulae praeter Octaviam omnes genuinae sunt.
2. Titulum MdAJ VI p. 229 (Syll. 113) Alexandri Magni temporibus esse antiquiorem puto.
3. Titulorum graecorum oratio a scriptorum ita differt, ut alteram ex altera corrigere nisi in orthographicis non liceat.
4. Socratis vitae ac philosophiae veram imaginem exprimendam sibi Aristophanes in Nubibus non proposuit.
5. Nub. v. 830 verbis *Σωκράτης ὁ Μήλιος* cur *Leucippum* tangi credat Mitchell (cf. *Blaydes*, *Aristoph. Nubes*, *Hal. 1890* p. 443), causa prorsus nulla est.
6. Sophocl. Trach. v. 1136 cod. LA lectio:

   ἅπαν τὸ χρῆμ' — ἥμαρτε χρηστὰ μωμένη

   servanda est.
7. Catull. c. 61 v. 68 *Stirpem enitier* recte coniecit Fröhlichius.
8. Nep. Alcib. c. 6 *coronis aureis taeniisque* cum scriberet Muretus, rectius quam novissimi editores iudicavit.
9. Decretum Atticum quod exstat apud Iosephum (archaeol. iud. XIV 8 vol. III p. 226 Bekk.) genuinum esse sed corruptum et interpolatum censeo; praescripta haec fere fuisse videntur:

   Ἐπὶ Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος [ἐπὶ τῆς . . . ίδος δεκάτης πρυτανείας, ἧι] Εὐκλῆς Μενάνδρου Ἁλιμούσιος ἐγραμμάτευε[ν], Μουνυχιῶνος ἑνδεκάτηι, ἑνδεκάτηι τῆς πρυτανείας· ἐκκλησία <*ς γενομένης* del.> *ἐν τῶι θεάτρωι. τῶν προέδρων ἐπεψήφιζε Δωρόθεος Ἐρχιεὺς καὶ* <*οἱ* del.> *συμπρόεδροι. [ἔδοξεν] τῶι δήμωι. Διονύσιος Διονυσίου [ἐκ τοῦ δεῖνος δήμου] εἶπεν κτλ.*

   renuntiationis formulam sic restituo:

   ἀνειπεῖν δὲ τὸν στέφανον ἐν τῶι θεάτρωι Διονυσίοις τραγωιδῶν τῶι καινῶι ἀγῶνι καὶ Παναθηναίων καὶ Ἐλευσινίων <*καὶ ἐν* del.> *τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν.*
10. Iota mutum adscribere pueri docendi sunt.

Vita.

Natus sum Carolus Aemilius Guilelmus Schmitthenner die IV. mensis Aprilis a. h. s. 67 in vico Nassoviensi, cui nomen est *Weilburg*, patre Guilelmo, matre Ludovica e gente *Schulz*, quos ambos esse superstites gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Parentes admodum puerulo me Aquas Mattiacas migrarunt, ubi pueritiam et adolescentiam fere totam degi. Litterarum elementis in ludo publico cum schola reali coniuncto imbutus a. h. s. 77 receptus sum in sextam classem gymnasii regii, quod Roberto Paehler, viro humanissimo, regente adhuc floret. Et huic et omnibus magistris plurimum debere me libens profiteor.

Maturitatis testimonio instructus a. h. s. 86, ut litterarum studiis vacarem, Bonnam me contuli, ubi per annum moratus hanc almam Musarum sedem adii, cuius per septies senos menses civis fui. Docuerunt me viri doctissimi: Aufrecht, Bücheler, Curtius, Diels, Dilthey, Hirschfeld, Kekulé, Kirchhoff, Koehler, Marx, Mommsen, Nissen, Oldenberg, E. Schmidt, J. Schmidt, de Treitschke, Usener, Vahlen, Weinhold, Zeller. Exercitionibus suis benigne me admiserunt grammaticis Usener (in proseminario Bonnensi), historicis Hirschfeld, Koehler, Mommsen, Nissen, epigraphicis Koehler; ut societati suae per tres annos interessem, liberaliter concessit Diels.

Quibus viris omnibus, praecipue Büchelero et Usenero Bonnensibus, Hirschfeldio et Koehlero Berolinensibus gratias ago ex animi sententia semperque habebo; Diels vero ita de me meruit, ut eius beneficiorum gratia ne cogitanda quidem unquam, nedum referenda sit.